**Praxis Barbettiana.**

**Contributors**

Barbette, Paul, -1666?

**Publication/Creation**

Amstelaedami : Apud Jacobum Lescaille, in plateâ vulgò dicta de Middeldam, Anno 1665.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/bf2zrtdd

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org







SUPPL. A 60935/A

Coll. n. 9

# PRAXIS
# BARBETTIANA.

PERSEVERANTER

AMSTELÆDAMI,
Apud *Jacobum Leſcaille*, in plateâ
vulgò dicta *de Middeldam*.
ANNO 1665.

NOBILISSIMO,
AMPLISSIMO
ET PROBITATE
INCOMPARABILI VIRO,

# D. GERARDO SCHAEP,

CORTEHOEVII
TOPARCHÆ,

REIPVBLICÆ
AMSTELÆDAMENSIS
PRVDENTISSIMO
CONSVLI,

ACADEMIÆ
LVGDVNENSIS
FIDELISSIMO
CVRATORI,

ET
AD SERENISSIMOS
DANIÆ, SVECIÆQVE
REGES
MAGNI AB OMNIBVS
FACTO
EXLEGATO &c. &c.

HANCCE SVAM PRAXIN,
SEQVE IPSVM
OFFERT
PAVLVS BARBETTE,
MEDICVS.

PRÆ-

# PRÆFATIO.

## INGENIOSE LECTOR,

PAucis tibi multa do, quæ multis fortè non placebunt, quos non multi fortè faciam. Hæc compendiosè ſcripſi doctioribus, à quibus doctiora ſperans, multis interim profectura ſpero, multis enim profeciſſe ſcio. Deficit morborum contagioſorum cura, ſed & illam brevi, Deo dante, dabo. Ex centum, quos conſului, auctoribus, nihil ferè exſcripſi, proprio ubique uſus ſenſu & judicio. Mirari noli quod Pituitam vulgarem ſæpius Lympham craſſam vocem; examinent illam Anatomici & Practici accuratiores, reperient vera me ſcripſiſſe; ſed in ventriculo & inteſtinis limitatione eget. Fruere tu hiſce, & ama, ſi ſic tibi viſum fuerit,

*Tuum totum*

PAULUM BARBETTE, M. D.

# EXCELLENTISSIMO MEDICO
# PAVLO BARBETTE,

PRAXIN ſuam perſpicue & compendioſe edenti.

ILluſtrat *Medicam* Doctor Barbettius *Artem,*
*Succinctamque docet methodum , qua pellere morbos,*
*Noſcere morborum cauſas, Symptomata, ſigna*
*Nunc poterunt Medici: quare properate Medentes,*
*Qui cupitis veſtris ægris adhibere levamen.*
*Porrigit hic vobis dextram, Praxinque fidelem*
*Expertus Medicus* Paulus Barbette, *Medentum*
*Amſtelidûm prægrande decus, veruſque Machäon.*
*Conſulite illius Praxin, quæ myſtica multa*
*Continet in ſeſe medicamina ſæpe probata:*
*Authorique hujus juſtas perſolvite grates.*
*Perge tuum,* Barbette, *decus, nomenque per orbem*
*Spargere terrarum, miſeriſque occurrere, ſcriptis:*
*Perge tuis ſtudiis Medicinam extendere,* Paule,
*Hiſtoriaſque ſimul morborum ſcribere doctas.*
*Vive diu, ut morbos ex corpore pellere poſſis:*
*Sic* Barbettiadum *laus ſtabit in orbe perennis,*
*Præſtanteſque tuos ſemper referemus honores.*

Amicitiæ ergò poſuit

THEODORVS WYNANTS,

Reipubl. Amſtelod. Med. ordin.

# INDEX CAPITUM.

## LIB. I.

### De Capitis affectionibus.

CAP. I. DE *Epilepſia.* pag. 1
II. *De Apoplexia.* 8
III. *De Paralyſi, Caro, Comate Vigili & ſomnolento, Catalepſi, Incubo, Lethargo, Epiſtotomo, Emproſtotomo, Opiſtotomo, &c.* 13
IV. *De Catharris, eoſque comitante vario capitis & partium totius corporis dolore.* 15

## LIB. II.

### De affectibus Colli.

CAP. I. *De Angina.* 20
II. *De Scrophulis.* 26
III. *De Aneuriſmate.* 29

## LIB. III.

### De affectionibus Thoracis.

CAP. I. *De Pleuritide.* 31
II. *De Phthiſi.* 36
III. *De Febribus.* 43

LIB.

## LIB. IV.

## De affectibus infimi ventris.


CAP. I. *De nimia ciborum Appetentia.* 51

II. *De Vomitu.* 52

III. *De Scorbuto.* 58

IV. *De Hydrope.* 63

V. *De Dyſenteria.* 67

VI. *De fluxu Hepatico.* 71

VII. *De Ileo.* 72

VIII. *De dolore Nephritico.* 76

IX. *De Vteri ſuffocatione.* 82

X. *De Hernia Vterina.* 82

XI. *De menſium ſuppreſſione.* 83

XII. *De partu difficili.* 89

XIII. *De menſium nimio fluxu.* 92

# PRAXEOS BARBETTIANÆ
## LIB. I.
## De Capitis Affectionibus.

### CAP. I. *De Epilepſia.*

I. **D***efinitio.* Epilepſia eſt Convulſio, vel motus partium corporis plerarumque præternaturalis, cum mentis & ſenſuum pro tempore plerumque læſione.

II. *Pars affecta* primaria eſt *Cerebrum* & conſequenter *nervi*, nullatenus vero membranæ.

III. *Differentiæ. Idiopathica* eſt vel *ſympathetica. Fortis*, vel *levis. Periodica* vel *inordinata. Hæreditaria* vel proprio vitio & *diæta* acquiſita.

IV. *Cauſa proxima* eſt *Lympha* in cerebro vitiata & acredine ſua nervos vellicans. *Remotæ* in glandulis lacteis, corde, utero aliiſque partibus ſunt quærendæ. Quicquid enim, ſive bilis ſit, ſive pituita, ſive ſuccus pancreaticus, vel ſemen ſanguisve menſtruus, Lympham reddere potens acriorem, Epile-

pſiam facile cauſat cerebro male ſeſe haben-te. Vapores non admitto.

V. *Signa Diagnoſtica.* Caput dolens eſt, grave, vertiginoſum. Pallet facies, extrema frigent tremuntque. Linguæ motus inordinatus. Meticuloſus æger atque triſtis. Subito interdum corruit. Nunc quædam, nunc multæ convelluntur corporis partes. Hic manus habet clauſas, ille in gyrum agitur; hic curſitat, ille ſedet. Plerique actorum ſunt ignari; quidam ſenſibus utuntur tam externis quam internis, hocque raro, nec ſatis, puto, aptè. Quidam vociferantur, aliis ſupervenit dentium ſtridor, ſtertor, ſpuma oris; urinæ, fœcum, ſeminis involuntaria excretio.

VI. *Prognoſtica.* Idiopathica curatu difficilima; ſympathetica ſæpè, in infantibus facilè curatur, hæreditaria nunquam.

VII. *Indicationes.* Caput expurgandum, roborandum. Lympha temperanda; cauſæ remotæ tollendæ.

VIII. *Curatio.* *In Paroxyſmo* proſunt frictiones, ligaturæ membrorum, punctiones, clamores, vellicationes, cucurbitulæ, clyſmata, ſuppoſitoria; oris apertio, partium externarum in rectum extenſio; illinitiones temporum, carporum, naris, cranii circà ſuturas, præcipuè coronalem; ſuffitus. Narcoticorum uſus utilis eſt & noxius, benè diſtin-

guere

guere experti eſt Doctoris. De Venæſectione idem dico.

*Extrà Paroxyſmum* temperamentorum, cauſæ proximæ & remotarum ſumma eſt habenda ratio. Inſpice oculos, faciem, linguam; explora pulſum, tange ventriculum & Hypochondria, utpote in quibus ſympatheticæ Epilepſiæ cauſa plerumque hæret; conſiderentur Lymphæ gratia partes externæ, pedes volo atque manus. Præparentur hiſce conſideratis humores vel primò, vel educantur ſtatim pro re nata. Corroborantur partes præparantibus unâ eâdemque fideliâ; Cumque malum Chronicum ſit, tam præparantia quam purgantia ſæpius reiteranda. Venæſectio raro uſu venit; Vomitoria interdum, ſed præſcripta cautè.

## *Medicamenta Antepileptica.*

Radices Acori veri, Angelicæ, Ariſtolochiæ, Arthemiſiæ, Cardanæ, Bryoniæ, Dentariæ, eryngii, fraxinellæ, hyperici, pœoniæ, ſcyllæ, ſucciſæ, tormentillæ, valerianæ ſylv. vincetoxici. Anagallis, betonica, ruta ſylveſtris, polium, verbena, pœonia. Flores liliorum convallium, pœoniæ, ſtœchados, tiliæ. Semina aquilegiæ, atriplicis, pœoniæ, ſeſeleos, cardamomum, ceraſa nigra. Ligna baxi, tiliæ, quercus. Agaricus. Succinum. Caſtoreum. Coagulum leporis; cor ciconiæ, hirun-

hirundinis, leporis, vulpis, vulturis. Cornu alcis, bovis, cervi, hirci, monocerotis. Cranium aſini, humanum, cuculus uſtus. Fel agni, catuli nigri, urſi, vulturis. Fimus vaccæ nigræ, hepar aſini, capri, ranarum viridiũm, turdi, urſi. Hirundo. Lac aſininum, caprinum, equinum. Pulli hirundinis. Lien equi. Lumbrici terreſtres. Muſtelæ piſcis caro, ſanguis & ſpina; oſſa lacertæ viridis. Oſſiculum cranii triangulare ſeu cruciforme lucii piſcis. Pica. Penna pavonis uſta, pulli corvorum combuſti. Sanguis catti maris, menſtruum juvencularum, humanus calidè aſſumptus, teſtudinis marinæ. Stercus ciconiæ, coturnicis, pavonis, talpæ cor & hepar, teſticuli equi, galli. Turdur femina. Veſica apri. Vngula alcis, aſini. Vnicornu. Margaritæ. Hydromel, Aqua, Spiritus, Vinum, Elixir, Syrupus Antidotus Cephalica Quercetani. Aqua Anhaltina; Hartmanni, Langii, Minſichtii, Hirundinum uſitata & Kobrenteri, picarum, ex fecibus humanis Mathioli, theriacalis. Spiritus Ant'epilepticus Baſilii, Paracelſi, Hartmanni: Cerebri humani, C. Cervi. Vitrioli viridis, volatilis, Tartari vitriolati, Salis Dulcis. Tinctura Solis Glauberi, Lunæ, Antimonii. Eſſentia & Tinctura Caſtorei, Elixir Crollii, Cratonis, Mynſichtii. Syrupus pœoniæ, ſtœchados, cinamomi. Ol. camphoræ, caſtorei, cranii humani,

mani, heracleotici ligni; majoranæ, roriſmarini, citri, rutæ, lavendulæ, ſuccini, ungulæ alcis, zedoariæ, ligni rhodii. Conſerva flor. Anthos, lil. convall. flor. Aurantiorum, pœoniæ. Electuar. Heve. Saxoniæ, Montagnanæ, Theriaca Smaragdorum. Extractum Deodati, ceraſorum, vitrioli narcotici, Laudanum Antep. Hartmanni. Baſſanus ruta ſuccini, Antapoplecticus. Pulvis Lecundinæ, marchionis, ſpecies dialunæ, bezoardicum minerale, lunare, ſalia ferè omnia tam fixa quam volatilia. Tabulæ Hartmanni, Langii, Pil. Antep. Plateri. Sapo Hiſpanicus, &c.

## *Formulæ Medicamentorum Purgantium.*

℞. Elect. è ſucco roſar. unc. j.
Pulveris Ialappæ drach. j.
Spir. Salis rectificat. ſcrup. j.
Ol. rorismarin. gut. viij.
MS. F. Conditum molle, de quo ſumat æger nucis moſchatæ magnitudinem, ter quaterve in hebdomade.

Vel

℞. Extract. rhei
Aloës lucid.
Reſinæ Ialapp. an. gr. vj.
Sal. ſuccin. gr. iij.

Ol. lavendul. g. ij.
MS. F. Pil. N°. iiij. deaurentur pro una doſi.

Vel

℞. Crem. Tartar.
Oc. Cancr. præparat.
Sal. Succin.
Diagrid. an. gr. vj.
MS. F. Pulvis in Vino vel cereviſia ſacharatis aſſumendus.

*Formulæ Medicamentorum Præparantium.*

℞. Liquor. Tartar. unc. ſ.
Sal. Ammoniac.
Succin. an. ſcrup. ſ.
MS. ſumat in Vino 10 pluresve guttas quater de die,

Vel

℞. Sal. prunell. Ammoniac. an. drach. ſ.
Oc. cancr. crud. contuſ. ſcrup. ij.
Raſur. cranii human. ſcrup. iiij.
MS. F. Pulvis dividendus in 6 partes æq. ſumat eorum bis de die, hunc jejuno ſtomacho, illum veſperi ante cœnam.

Vel

℞. Sal. ſuccin. volat.
Corn. cerv. an. ſcrup. j.
Caſtor. drach. ij.
Infundantur horis 24 in ſ. q. Spir. Vin. rectif.

rectif. & Tincturæ extractæ Adde
Aq. prophylacticæ,
Iulap. roſac. an. unc. j. ſ.
Syr. cinamom. unc. ſ.
MS. bibat ter quaterve de die cochleare unum atque alterum.

IX. *Obſervationes.* 1. Nicolaus Hazard 26 annorum juvenis, Cerebro humidiori, cæterà plethoricus, ter, ſæpe quinquies de die, idque ſingulis ſeptimanis Paroxyſmos patiebatur fortiſſimos, interdum horâ integrâ, interdum per bihorium, cum ſpuma oris, clamore, ſenſuumque omnium læſione, ſubſequente diuturno & profundo ſopore. Præter Venæſectionem, peculiares ob rationes, non Epilepſiam, inſtitutam, nullo alio uſus ſum medicamento, quam Condito ſupraſcripto purgante; ſed non niſi ſeptimo menſe curatus eſt. Obſervabat autem exactiſſimè diætam. Decimo nunc anno à morbo liberatus vivit hilariter Amſtelædami, vultuque ſereno obviam mihi factus me ſalutat.

2. Filia Simonis Gomes de Pas annos circiter viginti nata, integrum per annum laboraverat motibus Epilepticis, non quidem vehementibus, ſed à ſeptimâ matutinâ in horam nonam veſpertinam durantibus, cum ſpumâ oris, ſine loquela, ſenſuumque manifeſto uſu. Menſtrua nihilominus juſto tempore & modo fluebant, noctuque comede-

bat, loquebatur, bibebatque, ſed parcè. Præſcripſi ipſi haſce pilulas unica pro vice.

℞. Caſtor. Sal. Arthemis. an. gr. iiij.
Reſinæ Ialapp. gr. vj.
Aloës ſuccotrin. gr. ix.
Ol. majoran. g. ij.
MS. F. Pil. N°. v. deaurentur.

Pro voto illis purgata, uſa eſt bis quotidiè hauſtulo ſequenti,

℞. Saponis Hiſpanic. albiſſ. drach. ſ.
Coq. ex lacte Vaccino & Colat. unc. iij.
Dentur uſui.

Miratu dignum erat hoc remedio aſſumto Paroxyſmum indies gradatim, deque hora in horam ita iviſſe imminutum, ut trigeſimo die pleniſſimè curata exiverit, manſeritque reſtituta. Venæſectionem Phlegmaticæ nullus inſtitui.

## Cap. II. *De Apoplexia.*

I. A*Poplexia* eſt mentis conſternatio cum ſenſuum externorum & motus abolitione.

II. *Pars affecta* eſt Cerebrum cum ſuis nervis.

III. *Differentiæ.* Idiopathica eſt vel ſympathetica; fortis vel levis; vera vel notha.

IV. *Cauſa* eſt Lympha craſſior magna ex parte nervos obſtruens.

5. *Signa*

5. *Signa Diagnoſtica.* Homo, ante ſcilicet ſanus, plerumque ſubitò, interdum ſenſim concidit, cum ſenſus, motus & vocis ablatione nunc imminuta nunc totali, ſola reſpiratione eaque difficili, remanente. Dormit profundè, imò ſtertit. Membra laxa elevata concidunt ſuo pondere inſtar mortuorum. Oculi ſuſpenſi ſunt vel clauſi; pulſus interim fortis eſt & plenus, quod multos in Prognoſtico, imò antehac me ipſum decepit. Reſolvitur ani & veſicæ Sphincter.

6. *Prognoſtica.* Apoplexia malum curatu eſt difficile, ſed facilius curatu alterantibus, quam purgantibus vel venæſectione. Si à difficili reſpiratione ſudor ſuperveniat, præſertim frigidus, lethale. Febris acuta melior lentâ vel mediocri. Solvitur ſæpè, motu ſc. Critico, in Paralyſin: interdum per ſalivationem, Lymphâ nempe craſſiore ſic purgatâ excretâque vi naturæ.

7. *Indicationes.* Lympha qualitate peccans temperanda & craſſitiem propter incidenda; quantitate noxia evacuanda: ſic majori copiâ ſpiritus animales generabuntur, faciliuſque in partes ſenſibus motuique dicatas fluent.

8. *Curatio.* Membra, pedes puta atque manus, ob Lympham ad Cor fluentem fricentur moderatè. Tempora oleis deſtillatis inungantur, ut & nucha, medullaque ſpinalis.

Cucurbitulas non niſi rariſſimè probo, ut nec venæſectionem. Clyſteres, Epicarpia, ſupplantalia, ſuppoſitoria concedo, licet non niſi per accidens juvare poſſint; Purgantia vero ſummè neceſſaria abundantibus turgentibuſque humoribus; ut & alterantia peccantibus iiſdem qualitate. Somnus arcendus, ideoque narcotica omnia noxia.

### *Medicamenta Ant' Apoplectica.*

Rad. Angelicæ, Imperatoriæ, Ireos noſtrat. & Florent. Galangæ, Pyrethri. Lavendula, roſmarinus, hyſſopus, Iva Arthetica, ruta, ſpica, ſalvia, origanum, majorana, diureticaque & cephalica dicta omnia. Flores liliorum, lavendulæ, arantiorum, ſpicæ, ſtœchados. Baccæ juniperi. Grana kermes. Cubebæ, cardamomum. Semina carui, ſinapios. Nux moſchata. Garyophyllum, cinamomum, zinziber, piper. Balſamum Peruvianum, zibethum, moſchus, caſtoreum, Opobalſamum. Aqua lil. convall. juniperi, petroſelin. ſalviæ, Apoplectica Anhaltina, Crollii, Minſichtii, Riverii, Quercetani. Spir. ceraſorum nigrorum, formicarum, cranii humani, ſanguinis hum. lilior. convallium. Eſſentia ambræ, caſtorei, ſuccini. Elixir Pœoniæ Mynſichtii. Syr. florum Anthos. Ol. ſuccini, lavendulæ, ſalviæ, ſpicæ, garyophyllorum, ligni heracleotici. Conſerval. arantiorum, anthos,

anthos, menthæ. Confectio Anacardina. Balſamus Apoplecticus, cephalicique omnes. Magiſterium cranii humani, ſuccini; ſal Apoplecticum Minſichtii, ejuſdemque Rotulæ ſmaragdinæ &c. Elix. Vitæ noſtr. deſcriptionis.

*Medicamentorum Præparantium Formulæ.*

℞. Aq. Antiparalyt.
Prophylactic. an. unc. j. ſ.
Betonic. unc. ij. ſ.
Syr. de ſtœchad. drach. x.
M. bibat cochleatim.
Vel
℞. Elix. vitæ noſtr. deſcription. drach. j.
Bibat in Vino cereviſiave quater de die guttis 6 vel 8.
Vel
℞. Sal. Cranii human. ſcrup. j.
Detur in Vino, bis de die.

Spiritus ſalis dulcis ritè præparatus magnæ eſt efficaciæ, continuò in Vino potuve aſſueto ad guttas x vel xv aſſumptus.

*Medicamentorum Purgantium Formulæ.*

℞. Reſinæ Agarici,
Extract. catholic. an. gr. vij.
Sal. Tart. vitriolat. gr. iij.
Ol. rorismarin. gutt. ij.
MS. F. Pil. N°. iiij. deaurent.

Vel

Vel

℞. Rad. Ireos noſtrat.
Fol. ſenn. mund. an. drach. ij.
Agaric. leviſſ. drach. ſ.
Sem. pœon. ſcrup. j. Coq. ex aq. betonic. in Colat. unc. ij.ſ. diſſolve.
El. diacartham. drach. ij. ſ.
Ol. rorismarin. g. j.
MS. F. Hauſtus.

℞. Sal. Tart. vitriolat. gr. vj.
Scordii ſcrup. j.
Reſinæ agaric. gr. viij.
Sachar. perlat. drach. ſ.
MS. F. Pulvis tenuis in Vino Gallico vel Rhenano aſſumendus.

IX. *Obſervationes.* 1. Iohannes Abeels Vir quadraginta plus annorum, plethoricus, obeſus ſed robuſtus, horâ decimâ nocturnâ, mediocriter cœnatus, inter nicotianæ uſum ſubitò in Apoplexiam cadens, dormiebat altum. Conſilio me magis vicini Medici vena ipſi ſecta erat antequam ipſi potuerim adeſſe. Præſcripſi externa medicamenta & interna, ſed horâ primâ ejuſdem noctis ceſſit fatis.

2. Michaël Calvo Hiſpanus ſexagenarius, phlegmaticus, magnæ notæ vir, inſtitutâ bis conſilio Medici Hebræi, venæſectione, brevi poſt lumine caſſus eſt.

3. Anus ſexaginta quinque annos nata, fit poſt vertiginem Apoplectica. Volebant adſtantes

ſtantes ut ipſi ſtatim ab experto Chirurgo Auguſto Meyero ſecaretur vena, quam vocatus ego ut & ille improbavimus. Vſa eſt mixtura & purgantibus ſupraſcriptis, iiſque paucos intra dies convaluit.

## Cap. III. *De Paralyſi, Caro, Comate Vigili & ſomnolento, Catalepſi, Incubo, Lethargo &c. Epiſtothomo, Emproſtotomo, Epiſtotomo.*

I. HIſce de Affectibus non eſt quod multa dicam; tantam enim cum Apoplexia habent affinitatem, ut qui morbos iſtos ex hac neſciat curare, pauci judicii ſit oportet: neque enim eſſentialiter, ſed gradibus ſaltem differunt, eandemque agnoſcunt partem affectam cauſamque. Hoc ut Lector, rerum non verborum, amans melius concipiat, has illi meas communico.

II. *Obſervationes.* Mater D. Iohannis Vincent Diaconi & Mercatoris Amſtelædamenſis, brachium dextrum impotens movere, periculosè decumbebat anno ætatis ſuæ quinquageſimo octavo; ergò erat *Paralytica*: interdum dormiebat profundè, ergo laborabat *Comate ſomnolento Caróve*; interdum vigilabat, ergò debuit tunc ejus morbus *Coma Vigil* nominari; interdum ſtertebat nullamque edebat

bat vocem, quicquid vociferarentur adſtantes; ergo erat *Apoplectica*; febricitabat continuo, ſupervenientibus Aphtis, ergò aderat *Lethargus*. Omnes hi morbi, quibus extincta, promiſcuè illam affligebant 15 intrà dies. Quorſum ergò nunc *Entium Noxia Multiplicatio?* Quantum ſapimus verba dando!

2. Vxor D. Ludovici Serrarii Vertiginoſa, Paralytica, Comatoſa, Nephritica, Hyſterica &c. ore tortuoſo vix poterat vocato mihi loqui. Præſcripſi illi pilulas haſce purgantes:

℞. Reſinæ Ialapp.
Agaric.
Aloës lucid. an. gr. iiij.
Sal. ſuccin. gr. vj.
Ol. menthæ g. ij.
MS. F. Pil. No. v. deaurent.

Optimè inde purgata longè habuit melius. Altero die aſſumpſit mixturam ſequentem cochleatim:

℞. Aq. prophylact. noſtr. unc. j. ſ.
Antiparalyt. unc. ſ.
Antinephritic. unc. j.
meliſſ. unc. iij.
Syr. de ſtœchad. unc. j.
MS. in Phiala.

Hacce uſa conquerebatur de nimiâ ejus acredine, dulcorem autem non admittebat paſſio hyſterica; ſed aquæ liliorum convallium unciâ unâ cum ſemiſſi temperatam ſu-

pra-

praſcriptam mixturam optimè ægra tulit, & optimè novem imò ſeptem intra dies eſt curata; nebat enim quarto die proba hæc & familiæ ſummam curam habens Martha.

## Cap. IV. *De Catharris, eosque comitante vario Capitis & partium totius corporis dolore.*

I. CAtharrus eſt defluxio humorum in omnes corporis partes.

II. *Partes affectæ* ſunt glandulæ totius corporis ut & Cerebrum, quod Warthonus non veretur glandulam ſui generis vocare: addo membranas, tendines, nervos.

III. *Cauſa* eſt nunc Lympha acrior cui ſeſe ſæpe intermiſcet bilis, unde inflammationes & dolores intenſiores omnes; Ophthalmiæ, Anginæ, Ereſypelata, Herpetes, Arthritis, Tuſſis &c. nunc Lympha craſſior, unde dolores gravativi, Laſſitudo ſpontanea, Melancholia, Scorbutus &c.

IV. *Differentiæ* ex cauſis patent. Legat, qui plura volet, prolixum & doctiſſimum Sneiderum.

V. *Signa Diagnoſtica* ægris ipſis & adſtantibus tam manifeſta ſunt, ut doctis illa præſcribere parum ſit neceſſe.

VI. *Prognoſtica.* Catharri & dolores in-

terdum

terdum facilimè, interdum difficulter curantur; evenit ut ſubito ægri, imò cæterà ſani illis pereant, hoſque catharros, ſuffocativos, nominare ſolent. Cauſa hæret in orificio ventriculi, vel in ipſis pulmonibus ob impeditam à Lympha craſſâ Sanguinis circulationem.

VII. *Indicationes curativas ut & Curationem ipſam* petere potes ex Capite 1. & 2. de Epilepſia & Apoplexia; invenies illic ferè omnia huc pertinentia: pauca ſaltem longo mihi uſu comprobata illis hicce jungo.

In aurium ex acriori Lympha dolore.

℞. Lactis Vaccin. q. ſ.
Laud. opiat. gr. iij.
MS.

Inde auribus guttas tres quatuorve & exterius applica mivam panis ex furno noviſſimè allatam; id eſt calidam. In dolore ex Lympha craſſiore proſunt Olea deſtillata calida omnia.

In Ophthalmia ex Lympha craſſiore.

℞. Ovum Gallinaceum integrum; Coq. ad mediocrem duritiem, demptâque teſtâ & vitello cavitati ejus indantur
Sachar. Saturni gr. vj.
Camphoræ gr. ij.
Vitriol. alb. gr. viij.
Mell. roſat. unc. ſ.

Fiat expreſſio fortis, & expreſſus li-

quor

quor inſtilletur guttatim oculis bis vel ter de die.

Aliud omni laude majus.

℞. Aq. Euphraſiæ,
Fœnicul. an. lib. j.
Salis communis drach. vj.
Tutiæ præparat.
Vitriol. alb. an. unc. ſ.
Ebulliant parum & Colatura detur guttatim uſui.
MS.

In Ophthalmia ex Lympha acriore hocce melius huc uſque nondum ſum expertus :

℞. Florum Cinci ſcrup. j. ſ.
Aq. roſac. q. ſ.
MS. & guttatim inde oculis.

Cincum eſt ſpecies puto ſtanni, licet alii ſentiant aliter ; optimum ex Angliâ huc defertur : præparatur Chymicè quarto ignis gradu ; videtur aliquid Mercurii in ſe continere.

In principio doloris Arthritici ex Lympha acriore :

℞. Minii,
Ceruſſæ,
Sapon. Venetæ an. unc. x.
Ol. olivar. lib. ij.
Axungiæ porcinæ unc. j.
Coq. ex arte in formam Emplaſtri.

Magni quæſo facias hoc Emplaſtrum, ingenioſe Lector.

In declinatione, ut & in Artuum doloribus ex dislocatione, Contuſione &c.

℞. Minii lib. ſ.
Ol. Tartar. fœtid. unc. j. ſ.
Olivarum lib. j.
Caſtor.
Lumbricor. an. unc. iij.
Opii crud. drach. j. ſ.
Ceræ albæ & Labdani q. ſ.
MS. F. ſ. a. Emplaſtrum.

In dolore Arthritico ex Lympha craſſiore magnæ ſemper ſum expertus eſſe efficaciæ hoc Emplaſtrum:

℞. Emplaſtr. ſtiptici Crollii unc. j. ſ.
Ol. philoſophor. drach. ij.
Opii crudii ſcrup. ſ.
MS. F. Emplaſtrum extendendum ſuper aluta.

I. *Obſervationes.* Pia & chariſſima mihi uxor, ſæpius, præcipuè gravitatis tempore, laboravit catharris & vario corporis partium dolore; non putem illam 20 intrà annos ter medicamento purgante uſam eſſe; ſed naribus attrahebat conſilio meo ſimplex ſuffimigium pulveris maſtiches electi, idque ſexies de die; à quo ſemper & tam ſubito melius habebat, ut poſtmodum facta quaſi Vice-Medicus (liceat mihi ſic loqui joci ergo) illa me

me inſcio ſibi ipſi illud poſteà præſcripſerit ſæpiſſimè.

II. Catharris ex Lymphâ craſſiore oriundis laborantes tot curavi ſimplici ſuffitu vel vapore aceti, ferro ignito aſperſi, ut neminem hic nominare cogar.

III. In Catharris bilioſis itidem multa obſervavi; exempli loco ſit honeſta Matrona Lydia de Rovers; quæ optimè ſemper, purgata prius, habuit ab hujus mixturæ, quam cochleatim aſſumebat, uſu.

℞. Aq. prophylactic. noſtr. vel ejus in defectu aceti rectificat. unc. j. ſ.
Menthæ,
Meliſſ. an. unc. ij.
Syr. papaver. errat. unc. j.
Oc. Cancr. crud. contuſ. ſcrup. j. ſ.
Laud. opiat. gr. j.
MS.

# LIBER SECVNDVS.

## De Affectibus Colli.

### Cap. I. *De Angina.*

I. Angina eſt faucium inflammatio.

II. *Partes affectæ* ſunt Tonſillæ, fauces, Vvula, muſculi Laryngis & Oeſophagæi, imo palatum.

III. *Cauſa* eſt Sanguis, abundantia quidem ſæpe ſua peccans, quâ tamen non eouſque noceret, niſi Lympha acriori vitiaretur.

IV. *Differentiæ.* Dividitur ab omnibus melioris notæ auctoribus in tres ſpecies; quos hic non ſequi, temerarium foret. 1. Vocatur Cynanche; 2. Synanche. 3. Paraſynanche. Dividitur porro in Veram & Spuriam; ſed hæc pauci ſunt momenti.

V. *Signa Diagnoſtica.* Inſtantis Anginæ ſigna ſunt, cum patiens collum more ſolito non movere, difficilius reſpirare, nec aptè poteſt deglutire, ardoremque & dolorem ſenſerit in faucibus.

*Præſentis Anginæ ſigna diagnoſtica* ſunt reſpiratio ſuffocationi proxima; ſic impedita deglutitio, ut & potus liquidaque omnia re-

jiciantur

jiciantur per nares ; ſummus adeſt dolor, rubedo, tumor, febris ; lingua arida, vocis languor &c.

V I. *Prognoſtica.* Angina nulla tuta ; quantum minus tumoris , tantum periculi magis. Cynanche præcipuè ubi muſculi Laryngis inflammati omni videntur carere tumore. Minus periculoſa eſt Angina dicta Synanche ; adhuc minus Paraſynanche, ut & tonſillarum inflammatio.

V I I. *Indicationes Curativæ.* Lympha atque bilis in ſanguine ipſo temperandæ , hicque revellendus, derivanduſque citiſſimè.

V I I I. *Curatio.* Inſtituatur igitur quamprimum Venæſectio, vel in corpore non Plethorico , in brachio dextro ; reïtereturque pro neceſſitate ; poſteà malo id poſtulante aperiantur venæ ſublinguales raninæ. Proſunt Cucurbitulæ, Veſicatoria , Enemata , Gargariſmata, Topica.

## *Medicamenta contra Anginam.*

Radices ; althææ, liquiritiæ, Ireos. Herbæ ; Conſolida , Myrtus , Prunella, Taraxacum, Plantago, Scabioſa, Sempervivum majus, Salvia, Hedera terreſtris, Violaria. Flores ; Balauſtiorum, roſarum rubrarum. Crocus ſemina 4 frigida majora, minora, papaveris. Cortex & ſuccus granatorum, præcipuè acidorum. Ficus. Album Græçum. Hirun-

dines uſtæ, illarumque nidus. Alumen uſtum. Syrupus Berberorum, Capillorum Veneris, Violarum, Portulacæ, Iujubinus, Scabioſæ, Tuſſilaginis. Mel roſarum, Rob Sambuci, Diamori.

Repellens Gargariſma morbi in principio.

℞. Flor. roſ. rubr. balauſtior. an. P. j. ſ.
Cortic. granator. unc. ſ.
Fol. quercus M. j.
Alumin. uſt. ſcrup. j.
Coq. ex aq. ferratâ & Colat. lib. j. ſ.
Adde
Rob diamor. unc. ij.
MS.

Aliud efficacius.

℞. Fol. Taraxici M. j. ſ.
Hederæ terreſtr.
Violar. an. M. ſ.
Coq. ex aq. hordei in Colatur. unc. xx.
Diſſolve
Mellis roſat. colat. unc. j. ſ.
Addendo
Spir. vitriol. gutt. xv.
MS.

Diſcutiens in morbi declinatione Gargariſma.

℞. Rad. liquiritiæ,
Corticum granator. an. drach. ij.
Flor. balauſtior. P. j.
Iujubar. N°. xij.

Ficuum

Ficuum N°. iij.
Paſſular. minor. drach. iij.
Coq. ex aq. hordei in Colat. unc. xx.
Diſſolve
Syr. capillor. Ven, Mell. roſ. col. an. unc. j.
MS.

Aliud

℞. Rad. Ebuli unc. ſ.
Ireos noſtrat.
Liquiritiæ an. drach. ij.
Flor. Chamomillæ P. j. ſ.
roſar. rubrar.
Hyſſop. an. drach. ij.
Dactylor. N°. iij.
Ficuum N°. vj.
Alb. græc. drach. j.
Sem. Fœnugræc. drach. ij.
Coq. ex decocto raparum in Colaturæ lib. ij. diſſolve
Syr. Capillor. Vener. unc. ſ.
Iujubin.
Althææ Fernel. an. drach. vj.
MS.

*Externa Medicamenta contra Anginam.*

Ol. nucum, lil. albor. amygdalarum, chamomillæ, anethi. Axungia caponis, porci. Vnguent. althææ. Emplaſtrum de Mucilaginibus.

nibus. Stercus canis, columbarum. Nidus hirundinis.

℞. Rad. althææ,
Lilior. alb. an. unc. j.
Nid. hirundinis N°. j.
Ficuum,
Dactylor. an. N°. iiij.
Alb. græc unc. ſ.
Cæpar. drach. vj.
Coq. ex aq. hordei vel Cereviſia & Colatur. ſ. q. Adde
Farinæ Tritici,
Semin. lini an. unc. j.
Fœnugræc.
Althææ an. unc. ij. ſ.
Vitell. Ovi N°. ij.
Croc. Oriental. drach. ij.
Ol. Chamomill. unc. ij.
MS. F. Cataplaſma.
Vel
℞. Succ. cæpar. unc. ij.
Ol. lilior. alb.
Irin. an. unc. j. ſ.
Coq. parum, Addendo
Nid. hirundin. drach. ij.
Picis & Ceræ q. ſ.
MS. F. ſ. a. Emplaſtrum.
Cataplaſma Maturans.
℞. Rad. Althææ unc. j.
Lil. albor.

Rad.

Rad. Liquirit.
Ireos noſtr. an. drach. ij.
Cæparum unc. ſ.
Paſſular. enucleatar, unc. j.
Ficuum N°. vj.
Sem. lini,
Fœnugræci an. drach. ij.
Fol. Malvæ, braſſicæ an. M. ſ.
Coq. ex Vino albo Gallico in formam Cataplaſmatis.
MS.

IX. *Obſervationes.* 1. Æſculapii quidam filius, plethoricus, obeſus, laborabat ſynanche, ſibique ſtatim juſſit venam ſecare, ſtatimque poſt poterat deglutire, & ideo aſſumſit purgans à quo benè habuit & per multas horas quievit. Sequenti die recidivam paſſus iterum inſtituit venæſectionem, iterumque habuit melius, & ambulando loquebatur liberè, dicens ſe varia in proprio morbo obſervaſſe; altero mane dum ſe putaret ſanum, intra bihorium ſuffocatus periit.

2. Vxor Librarii Leſcaille plethorica intenſiſſimos faucium patiebatur dolores, tonſillæ ita erant tumefactæ ut ne guttulam potuerit deglutire, aſſumptaque omnia rejiceret per nares. Inſtitui Venæſectionem, uſuſque ſum Cataplaſmatibus & Gargariſmatibus ſupraſcriptis, quartoque morbi die malum bacillo exploraturus, abſceſſum vidi ſuppu-

ratum; placuit mihi inhumanius cum illa agere, eodem bacillo abſceſſum rupi; unde cum ſtatim melius haberet, riſit & laudavit probam fraudem.

## Cap. II. *De Scrophulis.*

I. SCrophulæ ſunt tumores præternaturales glandularum colli, propriâ tunicâ contenti.

II. *Partes affectæ* ſunt glandulæ conglomeratæ colli, ſalivales hodiè dictæ.

III. *Cauſa.* Glandularum totius corporis munus, (quod certiſſimum eſſe puto) eſt Lympham transcolare; neceſſe ergo eſt Lympham craſſiorem hujus affectus eſſe cauſam, unde illarum primo durities poſteà ſenſim accreſcens pertinaxque tumor.

IV. *Differentiæ.* Interdum mobiles ſunt; interdum oſſibus adhærent. Interdum glandula ſalivalis inferior, interdum & ſuperior afficitur. Interdum hæreditariæ ſunt; interdum Epidemicæ.

V. *Signa Diagnoſtica.* Tumor durus & rotundus vel oblongus eſt; dolorificus rariſſimè.

VI. *Prognoſtica.* Quo mobiliores eò curatu faciliores, curatu tamen ſemper difficilimè. Oſſibus adhærentes ferè incurabiles: in hiſce non utor niſi curâ palliativâ, ut & in

in illis quæ in cancrum vergunt atque dolent.

VII. *Indicationes Curativæ.* Lympha craſſa incidenda, temperanda, evacuanda. Glandulæ emolliendæ; humor, ſi poteſt, diſcutiendus, vel maturandus & tandem eſcharoticis, ubi aliter fieri nequit, abſumendus.

VIII. *Curatio.* Purgetur corpus Medicamentis Pituitæ huc uſque dicatis. Vitetur Venæſectio. Prodeſt ſudor, & acida intus aſſumpta omnia, ut & ſalia volatilia. Topica Chirurgiæ debentur.

*Medicamenta contrà Scrophulas.*

Rad. Ariſtolochiæ rotundæ, bryoniæ, cyclaminis, filipendulæ, morſus diaboli, iridis, pimpinellæ, pyrethri, ſcillæ, verbenæ, ſcrophulariæ. Folia cupreſſi, apiaſtri, rutæ, ſaturejæ. Flores geniſtæ. Cancri Combuſti. Teſtæ ovorum uſtæ. Sal Gemmæ. Spongia quæ maximè laudatur à Practicis.

℞. Cineris ſpongiæ marin.
Oſſis ſepiæ,
Piperis longi,
Cinamom.
Salis Gemmæ,
Pyrethri,
Nucum cupreſſi,
Gallarum,
Corticum Quercus,

Flor.

Flor. roſ. rubr. an. unc. ſ.
MS. F. Pulvis tenuis.
Doſis ſcrup. ij. vel drach. j.
Vel
℞. Lapid. Spongiæ drach. iij.
Sal. Gemmæ drach. ij.
Tartar. vitriolat. drach. j.
MS. F. Pulvis. Doſis ſcrup. j. ſ. vel ſcrup. ij.

Localia Chirurgis committo, inter quos novi qui magni faciunt Medicamentum hocce, quod in Epiſt. ſuis Medicin. deſcribit Langius, cujus reverà feliciſſimos vidi ſucceſſus:

℞. Olei philoſophorum laterini lib. ſ. Thuris, Maſticis, Gummi Arabici, Therbentinæ an. drach. iij. Piſtata ſimul per Alembicum deſtillentur; tandem diſtillationi addatur ſalis ex cinere ceni, & iterum diſtilla, & quod diſtillaverit in vitro ſerva.

Sale ceni quia caremus, ſupponi poteſt cinis ſpongiæ.

*Obſervationes.* Virgo nobilis, bilioſa, macra, ſcrophulis multiplicibus vexata fatis ceſſit, febre continua continuò illam emaciante, id eſt, hectica. Aperto cadavere reperimus mille ultrà glandulas minores, majores, à faucibus ad os pubis uſque. Ejuſdem erant coloris, flavi ſcilicet, quem apertâ cute oculis noſtris objiciebant ſcrophulæ in collo. Medicamenta cautè licet applicata non addo infelicem ob ſucceſſum.

Cap.

## Cap. III. *De Aneuriſmate.*

I. A*Neuriſma* eſt Tumor præternaturalis digitis illum comprimentibus facilè cedens, illiſque ablatis ſtatim rediens, cum forti pulſu.

II. *Pars affecta* ſæpiſſimè, imò ferè ſemper ob Arterias Carotides, Collum eſt; obſervavi tamen illud in genubus & brachiis.

III. *Cauſa* eſt humor acris, ſeroſus, bilioſus, internam arteriarum tunicam erodens, imò & externam craſſiorem, imo & viciniora ſibi oſſa.

IV. *Differentiæ.* Nunc magnum eſt, nunc parvum; nunc collo adhæret, nunc artubus.

V. *Signa Diagnoſtica* petere potes ex ſuprà ſcriptâ Aneuriſmatis definitione.

VI. *Prognoſtica.* Parva curatu difficilima, magna incurabilia: nec curatum in collo vel unicum vidi. Palliativâ curâ diu vivere poſſunt. Chirurgi artis propriæ ignari abſceſſum judicant; eoque aperto ſcalpello, moriuntur ægri illicò illorum in præſentia.

VII. VIII. *Indicationes Curativæ & Curatio.* Tumor ab initio ſtatim comprimendus, humorque acris repellendus: utrumque commode fit per tenuem laminam plumbeam. Quidam volunt ut ſanguis affluens intercipiatur arteriam ſuprà & infrà Aneu-

riſma

riſma ligando ; illudque poſtmodum excidendo curare. Sed hoc remedii genus dolorificum nec tutum eſt ; mallem ego vitæ conſervandæ ergo brachium vel pedem amputare.

IX. *Obſervationes.* 1. Pauperrimi cujuſdam viri (cujus nomen mihi excidit) Aneuriſmate extincti, cadaver diſſecuimus. Videbamus ſanguinem copioſum tam ſeroſum quam grumoſum ; tunicas arteriarum utraſque eroſas, & claviculam ſiniſtram maximâ ex parte carie exeſam. Cl. Sylvius ejus erat Anatomicus.

2. Alium pauperem ſupraſcripto modo per laminam plumbeam ita palliativè curavi, ut decimo quinto poſt anno mihi ſanus fuerit loquutus. Tumor erat ſuprà genu dextrum, ovi gallinacei magnitudine.

# LIBER TERTIVS.

## D e Affectibus Thoracis.

### Cap. I. *De Pleuritide.*

I. P*leuritis eſt Inflammatio* interioris Thoracis duplicatæ Tunicæ, dicta Pleura.

II. *Pars affecta* eſt Membrana Pleura; plerumque etiam patitur Pulmo, Mediaſtinum, Pericardium, Diaphragma.

III. *Cauſa* eſt humor ſeroſus, bilioſus, acris, cum ſanguine arterioſo ſeſe præternaturaliter effundens in Membranam pleuram, plerumque per anaſtomoſin, interdum diæreſin, rar ò diapedeſin.

IV. *Differentiæ.* Vera eſt vel Notha. Vera provenit ex ſanguine arterioſo acriori; in Nothâ ſanguini ſeſe miſcet Lympha craſſior. Quidam ſcriptores dolorem muſculorum Pleuritidem Notham vocant, quod illis non concedo; hoc malum Catharris debetur.

V. *Signa Diagnoſtica* ſunt, 1. Dolor lateris punctorius, 2. Tuſſis, 3. Difficilis reſpiratio, 4. Febris continua, 5. Pulſus durus. Hæc ſigna niſi omnia concurrant non eſt Pleuritis. Interdum Pleura inflammatur in dorſo

dorſo circà diaphragma, & ab incautis ſummo ægrorum damno, pro dolore nephritico habetur.

VI. *Prognoſtica.* Quò citiùs materia peccans ſuppuratur; quò ſputa magis albicantia & leviora, eò citius curatur æger. A copioſo ſcreatu tuſſis & reſpirationis difficultas vel aucta, vel non imminuta, malum.

VII. *Indicationes Curativæ.* Fluxus humorum ab initio ſtatim quantum fieri poteſt cohibendus; humor ipſe revellendus, derivandus; poſteà ſuppurandus, pars tandem ejus reliqua diſcutienda, parteſque roborandæ.

VIII. *Curatio.* Venæſectio primo morbi die bis terve, cæteris paribus, reiterata maximo ægris eſt auxilio. Sunt qui illam in totum rejiciunt, ſed cum illis non ſentio. Inſtituenda eſt in brachio lateris affecti, quicquid Theoretici contradicant, eaque interdum largiter. Poſtmodum humoribus turgentibus corpus purgandum; ſudor movendus, expectorantia præſcribenda.

*Medicamenta contrà Pleuritidem.*

Rad. Ariſtolochiæ, bardanæ, millefolii. Herbæ, Taraxicum, Anagallis, braſſica, Card. bened. Cerefolium. Conſolida regalis, hippogloſſum, pulmonaria, ſcabioſa. Flores buxi, papaver. erratici, ſtœchad. citri, violar. ſemina Card. ben. fraxini, Malvæ, urticæ, aqui-

aquilegiæ. Thus. Cor Cervi. Dens apri. Lapis Carpionum, percarum; mandibulæ lucii piſcis. Oc. Cancri. Oſſa lupi. Priapus Cervi, Tauri. Sperma Ceti. Vnicornu. Sal. prunellæ, Corallorum. Succus Taraxici, betulæ, ſtercoris equini. Aqua bardanæ, Card. bened. Scabioſæ, Theriacalis, Prophylactica noſtra. Spiritus tartari. Liquor diaphoreticus Mynſichti. Syr. Card. bened. papaver. rheados, diacodii. Ol. myrtillor. roſaceum, amygdalinum. Vnguentum pectorale, Althææ. Emplaſtrum Ireos, de Cumino. Pulvis antipleuriticus Mynſichti. Haly. Tragea antipleuritica Hartmanni, Quercetani. Antim. Diaphoretic. bezoard. minerale; Flores Sulphuris.

In principio morbi:

℞. Succi Taraxici depurat. unc. j.
Aq. plantagin.
Roſac. an. unc. ij.
Prophylactic. noſtr. unc. ſ.
Oc. Cancr. crudor. contuſor. drach. ſ.
Syr. papaver. errat. unc. j. ſ.
MS. in Phiala.

Sumat æger hac de mixturâ ſingulis horæ quadrantibus cochleare unum alterumve, miraberis ejus effectum.

Vel

℞. Syr. althææ Fernel. unc. j.
Diacodii,

Papaver. errat. an. drach. vj.
Oc. Cancr. præparat. drach. j.
Bezoardic. mineral. ſcrup. j.
MS. F. Linctus continuò aſſumendus.
Secundo, tertiove die:
℞. Rad. Althææ unc. j.
Liquiritiæ raſæ drach. ij.
Fol. Malvæ M. j. Senn. unc. ſ.
Oc. Cancr. crudor. contuſorum & in petia ligatorum drach. vj.
Rhei electi drach. iij.
Tamarindor. unc. ſ.
Iujubar. N°. x.
Sem. urtic. Roman. unc. j. ſ.
Coq. ex aq. hordei in Colaturæ unc. XXIV.
Diſſolve
Syr. Diacnicu unc. j. ſ.
Salis prunellæ ſcrup. ij.
MS.

Bibat Patiens hujus Apozematis Vncias V. bis terve de die, prout alvus laxa fuerit vel adſtricta.

## *Medicamenta Topica.*

Efficaciora hiſce, quantumvis communia, nulla ſum expertus.

℞. Vngt. Althææ Compos.
Pectoralis an. unc. ſ.
Ol. Sem. papaver.
Lilior. albor. an. drach. iij.

Ol.

Ol. Myrtillor.
Roſac. an. drach. vj.
MS. in fictili.

Hocce Linimento utor in morbi principio, & materiâ ſuppuratâ Emplaſtro de *Cumino*, vel Emplaſtro *Ireos* in affectibus pectoris ſummâ laude digno.

IX. *Obſervationes.* 1. Dominus N. de Bas Sponſus, conquerebatur mihi de punctorio lateris ſiniſtri dolore, quem Pleuriticum vocabat. Statim refutavi ejus opinionem; hærebat enim malum in muſculis intercoſtalibus, quod, ut ſuprà ſcripſi, quidam Auctores Pleuritidem notham vocant. Reſpirabat difficulter, & conquerebatur ſe non poſſe ob dolorem brachiis amplecti chariſſimam ſibi ſponſam. Iuſſi imponatur affecto lateri Emplaſtrum Ireos, & inde unica nocte curatus, tertio poſt die nuptias celebravit ſine ulla Sponſæ querela.

2. Laurentius Hommers Mercator, qui paucis ante morbum diebus joci ergò mihi dixerat, ſibi in toto mundo omnia perinde eſſe, modo uxor ſua non fieret vidua, Pleuritide corripitur exquiſita in latere ſiniſtro. Detraxi ipſi ſanguinem ter intrà biduum ex brachio & manu lateris affecti, uſuſque eſt medicamentis ſupraſcriptis. Tam benè inde habuit ut quarto die me inſcio exiverit, comederitque halecem & ſuperbiberit Pintas

duas Cereviſiæ craſſæ Roterodamenſis. Altero die, imò illâ ipsâ nocte, incidit in Pleuritidem lateris oppoſiti,id eſt dextri. Summo mane vocatus dolebam Amicum, cum viderem vires tanto oneri non fore ferendo, cui etiam tertio poſt die ſuccubuit.

3. Illo eodemque tempore Gertruda Evers ſanguinea pituitoſa Virgo, vigeſimo ſecundo ætatis anno ex Pleuritide decumbit. Menſtrua pro voto fluxerant decem antè diebus. Iuſſi illi ſanguinem è brachio affecti lateris ad Vncias octo bis detrahere fruſtraneo eventu. Non permittebant proſtratæ vires tertio morbi die, ut amplius de Venæſectione auſus fuerim cogitare, nihil enim niſi mortem expectabam. Præſcripſi ipſi mixturam ſupraſcriptam ex ſucco Taraxici,&c. Et paucas intrà horas ceſſavit dolor, paucíſque poſt diebus totus morbus.

De *Peripneumonia* nihil ſcribo, quia nihil in cura differt à cura Pleuritidis. Conſulet qui plura ſcire volet, hoc de affectu, ut & de *Paraphrenitide*, auctores, nam & hanc eodem modo curari poſſe ſcio.

## Cap. II. *De Phthiſi.*

I. PHthiſis eſt *Conſumptio* humoris nutritii. II. *Pars affecta* interdum quidem Pulmo eſt, ſed non eo quo vulgo putatur:

tatur modo, ut ex cauſis patebit. Primariò plerumque patiuntur Ventriculus, Pancreas, Glandulæ lacteæ &c. Pulmo per Conſenſum.

III. *Cauſa* eſt 1. Ventriculus malè Chymum digerens. 2. Succus pancreaticus malè ſeſe miſcens bili: unde 3. Chylus craſſior malè transcolatur per glandulas meſenterii lacteas: evenit inde 4. quod craſſior chyli pars in glandulis lacteis hæreat, non transcoletur, illas induret, ſic ut non niſi ſeroſior illius pars per ductum Thoracicum perveniat ad Cor. Interim veſiculæ tam orbiculares quam ſinuoſæ pulmonis noviter à Cl. Malpighio inventæ, ex legibus circulationis ſanguinis, replentur lympha, quæ in illis craſſior fit, anhelationem cauſat atque tuſſim, vapores adſcendentes anguſtias intermittentes. Vlcus Pulmonis Tabem eſſe non admitto; niſi longo temporis tractu degeneraverit, vel in Vomicam, vel Empyema; diſſectione enim ſemper contrarium reperi in cadaveribus hoc malo extinctis.

IV. *Differentiæ.* Practicus Tabem in tres ſpecies divido. Prima, eaque præcipua, eſt illa quæ provenit ex glandulis meſenterii lacteis Lymphâ craſſâ, vel, ut alii loquuntur, pituitâ obſeſſis; quæ ſic in cauſa ſunt, ut minima aſſumptorum ciborum pars perveniat ad Cor, Corporiſque partes reliquas; maxima vero illorum pars pereat per alvum. Se-

cunda eſt quæ propter ſanguinem, & in illo Lympham ſeroſiorem, Tuſſim excitat continuam, dum per pulmones circulatur cum ſucco nutritio ad Cor. Tertia ſpecies illa eſt, quam antiqui ulcus pulmonum vocavere. Procedit ex Lymphâ craſsâ in Veſiculis pulmonum ſupradictis diutius hærente, & Circulationem ſanguinis impediente. Sputa primùm albicant & levia ſunt, poſtmodum craſſiora fiunt, tandem aliquo modo fœtent & ſic putreſcunt. Hæc quoad qualitatem; quantitate ſi peccaverit hæc Lympha, Vomicam Pulmonum obſervabis, vel Empyema.

V. *Signa Diagnoſtica* incipientis Phthiſis ſunt Inflatio Ventriculi tumorque totius abdominis; anxietas cordis & interdum palpitatio, tuſſis ſicca, appetitus proſtratus, macredo, febricula continua. Conſummatæ Tabis ſigna ſunt, appetitus major ſed vagus; (provenit ille, puto, ex febre aucta & majore; quam non ſolum continuam obſervavi, ſed in pleriſque indies ſuam exacerbationem habentem; hancque febrem voco duplicem Tertianam continuam; an illa ex Pulmonibus trahere poſſit ortum, judicet judicio pollens Medicus) Tuſſis continua, reſpiratio difficilima, Marcor, cutis arida nigricanſque, ſputum viride, craſſum & aquæ puræ immerſum, matulæ fundum petens.

VI. *Prognoſtica.* Phthiſin Infantum, imò adul-

adultorum in principio facilè curaveris, ſi abdominis majorem habueris curam, quam pulmonis, hicce enim tunc non peccat niſi per accidens. Conſummata ferè ſemper incurabilis; ſed Vomicâ pulmonis laborantes curatos vidi varios, ut & alii mecum Practici.

VII. *Indicationes curativæ.* Lympha craſſa incidenda, abundans leniter & per epicraſin evacuanda. Diæta ſit exquiſita; reficiatur tamen ſæpè Stomachus.

VIII. *Curatio.* Intelligenti ſufficient Indicationes Curativæ. Hoc ſaltem addo, me contrà omnium fortè Scriptorum Practicorum ſententiam acidis temperatis feliciſſimè uſum. Ratio patet ex præſcriptis. Dulcia acidis non temperata, cum multis aliis obſervavi, ægris ſemper, ad minimum plerumque, obfuiſſe.

## *Medicamenta Anti-Phthiſica.*

Radices Chinæ, Salſæparillæ, Polipodii, Hellenii, Symphyti majoris, Ireos. Fol. Capill. Ven. Conſolid. Hedera terreſtr. Hyſſopus, Iacea, Millefolium, Piloſella, Pimpinella, Taraxicum, Plantago, Prunella, Pulmonaria, Sanicula, Scabioſa, Veronica. Flores Hyperici, roſarum, Violarum, Aurantiorum. Semina althææ, malvæ, papaveris, 4. frigid. majora & minora, (Amygdalas non amo)

Piſtacia. Santalum citrinum. Sulphur vivum præparatumque. Aq. Antiphthiſica Mynſichti, Quercetani, Rolfincii. Spir. Sulphur. per Campanam, ſalis dulcis. Balſamus Sulphuris ſimplex, vel aniſatus. Elix. Proprietatis. Syr. papaveris tam erratici quam albi, diacodii, Althææ, de Symphyto Fernelii. Loch de pulmone vulpis, Antiphthiſic. Mynſichti. Antidotus major Querc. Pulvis Haly, refectivus Mynſ. Spec. Diatragacant. Frig. Oc. Cancr. Tragea antiphthiſica Q. Coffi, Succolata. Antimonium diaphoret. Bez. minerale, flores Sulphuris ejuſque lac. Pil. proprietatis Mynſ.

℞. Oc. Cancr. crudor. contuſor. drach. j.
Spec. Diatragacant. frig.
Pulv. Haly an. drach. ſ.
Sal. prunell. ſcrup. j.
Tartar. vitriolat. gr. vj.
Confect. Alchermes incompletæ
Sachar. perlat. unc. ſ.
Althææ unc. ij.
MS. F. ſ.a. Trochiſci omnibus diei horis aſſumendi.

℞. Syr. Althææ Fernel. unc. ij.
Diacodii unc. j.
Bezoardic. miner.
Salis prunell.
Oc. Cancr. præparat. an. ſcrup. j.
MS. F. Linctus.

Si

Si Materia abundantiâ ſuâ peccans eſt evacuanda:

℞. Rad. Althææ unc. j.
Ireos unc. ſ.
Fol. Malvæ M. j.
Senn. mundat. unc. ſ.
Rhei elect. drach. iij.
Tamarindor. drach. vj.
Sebeſten N°. viij.
Oc. Cancr. crudor. contuſor. & in petiâ ligator. unc. ſ.
Sem. aquileg. drach. j. urtic. Rom. drach. ſ.
Coq. ex aq. hordei. in Colaturæ unc. xxv.
Diſſolve
Syr. diacnic. unc. ij.
Sal. nitri ſcrup. ij.
MS. F. Apozema.

Bibat patiens ſemel vel bis de die, prout operabitur vel ejus feret conſtitutio, Vncias quinque. Spiritus ſalis dulcis, ut & ſimplex liquor Tartari, incomparabilis ſunt efficaciæ, guttatim in cereviſia, juſculo vel vino aſſumpti.

IX. *Obſervationes.* 1. D. Haſenbroeck, Ovium Dei Paſtor, Melancholicus, Macer, Tuſſiens, Febricitans, nec noctu, nec de die ferè poterat dormire; dolebat caput, appetitus ut & totius corporis vires erant proſtratæ. Iuvenis eſt 30 circiter annorum. Præſcripſi illi primò

decoctum ſupraſcriptum laxans ; deinde hanc mixturam cochleatim aſſumendam :

℞. Aq. Scabioſ.
Card. benedict. an. unc. ij.
Prophylactic. unc. ſ.
Oc. Cancr. præparat. ſcrup. j. ſ.
Syr. papaveris errat. unc. j.
Laud. opiat. gr. j.
MS. F. Mixtura cochleatim ſingulis horis aſſumenda.

Optimè inde habuit. Tandem uſus ſum ſpiritu ſalis dulcis. Nunc eo uſque benè habet ut hilaris ſit Athleta, biſque interdum de die doctiſſimè ſummaque cum Auditorum laude concionari poſſit.

2. Anna Sweers ſanguinea & novendecim annorum virgo, tuſſiebat & febricitabat continuò. Macrior inde facta, uſa eſt ope fœminæ cujuſdam circumforaneæ, quæ ipſi per continuas purgationes novem intrà dies pollicebatur optatiſſimam ſanitatem. Sed ſucceſſus eo uſque fuit infelix, ut vocatus ego nihil ipſi potuerim præter corroborantia præſcribere; brevi autem poſt periit. Tam noxia ſunt hoc in morbo fortiter purgantia.

3. Infantes Tabe laborantes pleroſque ſic feliciter curavi. Iubebam illis inungeretur bis de die venter hocce Linimento :

℞. Vngt. Althææ Comp.
Arthanitæ an. unc. ſ.

Ol.

Ol. Mucagin. unc. j.
MS.

Interdum, id eſt, ter quaterve ſingulis hebdomadibus, illos purgo Syrupo Diacnicu. Interim utuntur Liquore Tartari in ordinario illis potu.

## Cap. III. *De Febribus.*

I. F*Ebris* eſt aucta Circulatio Sanguinis per Pulmones, Cor, Cerebrum, totiuſque Corporis partes.

II. *Partes affectæ* ſunt Ventriculus, Inteſtinum duodenum, Hepar, Pancreas, Glandulæ meſenterii, & interdum Artus, &c.

III. *Cauſa* Interna vel Externa eſt. Internam eamque præcipuam puto, quod poſtquam Ventriculus non benè cibos concoxerit, Succus Pancreatitus non bene ſeſe miſceat cum bile Chylóque; ſic bilis præternaturaliter regurgitat per Venam Cavam ad Cor totumque corpus. Pancreas interim Lymphâ craſsâ obſeſſum officium ſuum male agit, unde febres intermittentes omnes.

Externa cauſa eſt Contuſio friguſve partium externarum, quæ Circulationem tàm ſanguinis quàm Lymphæ (quam veri Anatomici mecum circulari, certò putant ſciuntve) impedit, ſicque febrem cauſat. Si ad omnia, quæ hic brevi deſcribuntur, attendere volueris,

ris, reperies fortè omnia tot voluminibus de tanto morbo deſcripta. De Febribus malignis & contagioſis nihil hic dico, cum in Præfatione promiſerim me ſpeciatim de morbis contagioſis verba facturum.

IV. *Differentiæ.* Febres hiſce in regionibus raro ob Lympham craſſam ſunt continuæ, ſine nova exacerbatione. Plerumque ſunt Tertianæ ſimplices vel duplices; vel Quartanæ ſimplices, duplices, triplicesve; Quotidianæ enim mihi in rerum natura non dantur, omnes enim tales vel duplices Tertianæ, vel Triplices Quartanæ ſunt.

V. *Signa Diagnoſtica.* Pulſus ſemper eſt celerior, ſæpiſſimè oppreſſus. Dolor Capitis vel punctorius eſt vel gravativus. Conqueruntur ægri de Cordis & præcordiorum anxietate; quam antiqui optimè Cardialgiam vocavere; reverà enim non provenit ex corde, ſed Ventriculo ipſiuſque præſertim orificio. Interdum adeſt rigor horrorve, interdum non. Vomunt multi in principio, poſtmodum ſunt inquieti, tandem ſudant, & ſic terminatur pro illo tempore febris intermittens tam ſimplex, quam duplex Tertiana, ut & Quartana.

VI. *Prognoſtica.* Continua vel acuta Febris nulla tuta; ſæpiſſimè enim aliquid ſubeſt, quod neſcimus. Quartana Medicorum vocatur opprobrium: curantur tamen ſæpè brevi,

brevi, exactiſſimè diætam obſervantes ægri. Febres Tertianas duplices ſemper continuas obſervavi, & ideò periculoſas, multoſque, niſi leniter tractentur, è medio tollunt. Tertianæ ſimplices facilè curantur ab expertis.

VII. *Indicationes Curativæ.* Ventriculi, Pancreatis, Hepatis, Glandularumque Meſenterii major habenda ratio quam Cordis vel Cerebri: artus autem nequaquam negligendi; caleant neceſſe eſt. Bilis acrior temperanda; bilis craſſior (quod ſæpe evenit) incidenda. Humores abundantes leniter evacuandi in tenellioribus; fortiora purgantia non niſi ruſticis conveniunt. Sudorifera vehementiora obſunt omnia ſemperque; natura enim ducenda non cogenda. Omnia ſponte fluant, abſit violentia rebus.

VIII. *Curatio.* Hippocratis ex lege humores primo præparandi, niſi materia turgeat, quod rarò (hiſce præſertim in regionibus) evenire ſolet. Non tamen improbo primam vulgo dictam regionem leniter evacuantia. In Febribus continuis Venæſectio cautè inſtituta convenit: ut & in febre Tertiana ſimplici, tertium poſt Paroxiſmum. Quartanariis plerumque nocet; hiſce proſunt frequentes Clyſteres, & interdum purgationes; ſemper vero ſudorifera, præcipuè ſalia; eaque febricitantibus omnibus.

*Medi-*

*Medicamenta Febrifuga.*

Radic. Contratſervæ, Imperatoriæ, Plantaginis, Taraxici. Cortex Chinæ Chinæ Indorum. Fol. Abſinthii, Card. benedict. Centaurii, Fumariæ, Acetoſæ, Verbena, Ruta, Serpillum. Semina milii Solis, nigellæ. Nux moſchata, Garyophyllum. piper. Camphora. Cornu Cervi. Sal Ammoniaci, Prunellæ, Card. bened. Scordii, Abſinthii, Tart. vitriolati. Aq. febrifuga Mynſichti, Quercetani, Hartmanni. Bezoardicum minerale. Sal febrifugum Mynſichti, Riverii, Crollii. Spir. Salis dulcis vitrioli. Extractum Catholicum. Pilulæ Cholagogæ. Aloës, Rheum, Iulappa. Emplaſtrum febrifugum Strobelbergeri.

*In Febribus continuis.*

℞. Sal. prunell. gr. xv.
Tart. vitriolat. gr. vj.
Oc. Cancr. præparat. ſcrup. ſ.
Sachar. perl. drach. ſ.
MS. F. Pulvis.

Detur bis de die in Iuſculo: interim in cereviſia, potuve aſſueto (conſueta enim longo tempore inconſuetis minus moleſta eſſe ſolent) utatur guttis 14 vel 15 Spir. Salis dulcis pro temperamento & ætate. Poteſt & hac Corroborante, humoreſque præparan-

te

te uti mixturâ, eaque cochleatim ſingulis diei horis.

℞. Aq. prophylactic. unc. j. ſ.
Borrag.
Card. bened. an. unc. ij.
Iulap. roſac. unc. j. ſ.
Sachar. perlat. drach. ij.
MS.

Deſcriptio Aquæ Prophylacticæ quæ Celeberrimis Viris Dom. Fr. Sylvio, Fr. Verſchagen, mihique debetur:

℞. Rad. Angelicæ,
Zedoariæ an. unc. j.
Petaſitidis unc. ij.
Fol. Rutæ unc. iiij.
Meliſſæ,
Scabioſæ,
Flor. Calendulæ an. unc. ij.
Nucum Iugland.
Immaturarum conciſarum lib. ij.
Pom. citr. recent. conciſ. lib. j.

Contundantur omnia ſimul, deinde affunde Aceti vini optimi ad tres quartas partes ex arena in cucurbitâ vitreâ per ſe deſtill. lib. xij.

Digerantur per noctem, deinde deſtillentur igne cinerum lento ad ſiccitatem, idque ſine uſtione; & hoc acetum uſui ſerva.

Vbi humores præparati evacuandi, præſcribo medicamenta leniora, Auctoribus la-

laxantia dicta. Propriè vocata purgantia vel Catharctica, raro mihi uſu venêre, ſæpius illa obſervavi noxia.

Tertiana duplex eodem modo curatur.

In Quartana & Tertiana Intermittente.

℞. Sal. abſinth.
Card. bened. an. gr. xv.
Tart. vitriolat. gr. vj.
Sachar. perlat. drach. ſ.
MS. F. Pulvis immediatè antè paroxyſmum aſſumendus.

Cortex Indicus China China dictus multos curavit, ſed nec tam tutò, nec tam citò, nec tàm jucundè quam ſuprà dicta ſalia; interim magno conſtat pretio.

Vbi Purgandum

℞. El. Diacartham.
Diaprun. ſolut. an. unc. ſ.
Tart. vitriolat. ſcrup. j.
Ialapp. drach. j.
MS. F. Condîtum.

Sumat hujus Conditi ægrotans Intermiſſionis die jejuno ſtomacho nucis avellanæ magnitudinem.

Vel

℞. Cremor. Tartar.
Sal. Scordii an. gr. ix.
Tartar. vitriolat.
Diagrid. an. gr. vj.
MS. F. Pulvis intermiſſionis die.

Notan-

Notandum Quartanarios fortiora ferre purgantia Tertianâ, vel Continuâ quacunque laborantibus.

IX. *Obſervationes.* Nobilis Virgo Margaretha van den Heuvel, decimo ſeptimo ætatis anno corripitur febre Quartanâ cum menſtruorum ſuppreſſione. Vſa eſt per tres integras ſeptimanas quotidiè hiſce Rotulis:

℞. Sal. Arthemiſ.
Prunell. an. ſcrup. j.
Tart. vitr. gr. xxv.
Chalyb. præparat. gr. xv.
Oc. Cancr. crudor. contuſorum drach. j.
Sachar. perlat. unc. ij. ſ.
MS. F. ſ. a. Trochiſci.

Melius hiſce habens, rediit illi, mihi minus citò, proſtratus anteà appetitus; ideoque illam hoc pulvere purgavi:

℞. Salis Succin. ſcrup. j.
Tart. vitr.
Diagrid. an. gr. vj.
MS. F. Pulvis.

Hocce pro voto ſuo meoque purgata, rediit menſtruorum fluxus, & valedixit ipſi febris. Venæſectionem Plethoricæ non inſtitui.

Nobiliſſimus Vir Iuvenis P. S. viginti octo annos natus, & febre Quartana per menſes aliquot vexatus, meam imploravit opem. Præ-

ſcripſi illi hunc pulverem præcisè in Vino Rhenano aſſumendum antè paroxyſmum:

℞. Sal. Card. benedict.
Abſinth.
Prunell. an. ſcrup. ſ.
Bezoardic. min. gr. v.
Sachari perlarum ſcrup. ij.
MS. F. Pulvis.

Ter eò uſus convaluit ſine recidivâ. Plures tales obſervationes ſcribere hic poſſem, niſi metuerem quod mutato nomine unum idemque ſim dicturus.

# LIBER QVARTVS.

## De Affectibus Infimi Ventris.

### Cap. I. *De Nimia Ciborum Appetentia.*

I. Nimia ciborum Appetentia eſt Fermentatio aucta in Ventriculo.

II. *Pars affecta* eſt Ventriculus & Pancreas.

III. *Cauſa* vel Interna vel Externa eſt. Interna eſt ſuccus Pancreaticus acidior. Externa cauſa eſt aſſumptio ciborum vel medicamentorum acidorum nimia nec ſatis temperata. Motus nimius. Vinum Generoſum, Aromata acriora omnia.

IV. *Differentia* ferè nulla eſt, quam quod gradibus ſuis diſtinguatur.

V. *Signa Diagnoſtica.* In vomitum valdè proni ſunt, & nihil interim ejiciunt præter humoris acidi & pituitoſi pauciſſimam quantitatem. In aliis contrarium evenit, qui voracitate & aviditate nimiâ aſſumpta ſtatim evomunt & reliqua excernunt per alvum. Ructibus vexantur & anxietate cordis.

VI. *Prognoſtica.* Obeſi interdum fiunt, non enim niſi ſubtilior pars chyli tranſit propter vomitum ad Cor, illicque in ſanguinem

convertitur ; ſed hoc malum valde eſt & ſervile & ſumptuoſum : Coguntur enim vel noctu etiam hyberno tempore bis terve ſurgere, & ſic aëris intemperiei eſſe obnoxii. Aliorum vitæ finis hydrops eſt vel tabes.

VII. *Indicationes Curativæ*. Humor acidus temperandus & quantitate peccans evacuandus, per Medicamenta dicta laxantia.

VIII. *Curatio*. Omnia pinguia & dulcia temperata illis proſunt, ut & leniter purgantia. Nec Vomitum probo nec Venæſectionem. Præcipua Cura in Diætâ eſt quærenda, de qua conſulantur Auctores. Interdum Narcotica, ſed non niſi leniora proſunt.

IX. *Obſervatio*. Celeberrimus quidam ſummuſque mihi amicus Vir, valdè conquerebatur de affectus hujus moleſtia. Præſcripſi illi diætam convenientem, juſſique bibat Cereviſiam Roterodamenſem, Vinique, cui aſſuetus erat, tantillum. Nullo alio uſus ſum medicamento, quam Syr. de Cichoreo cum Rheo & Syr. Diacnicu quem quotidiè aſſumebat ; nunc pugilicè vivit atque ſobriè.

## Cap. II. *De Vomitu.*

I. V*Omitus* eſt motus Ventriculi præternaturalis.

II. *Pars affecta* ferè ſemper eſt

Stoma-

Stomachus, interdum per conſenſum Inflammatum Hepar, interdum Diaphragma, interdum Pancreas, quod exactiſſimè Anatomicus obſervavi.

III. *Cauſæ* hic valdè differentes ſunt, & exactiſſimi judicii Medicum requirunt. Peccat ſæpiſſimè pituita tenax rugis ventriculi adhærens, interdum bilis, interdum ſuccus Pancreaticus. Rugæ ſæpè nimis laxæ, orificium ventriculi non claudunt, interdum excoriantur. Pancreas aliquando patitur abſceſſum, imo & ipſe Stomachus, licet rariſſimè; interdum inflammatur Hepar vel Diaphragma.

IV. *Differentiæ*. Vomitus aut Idiopathicus eſt aut Sympatheticus; ex morbo oriundus vel ex cauſis externis. Criticus vel Symptomaticus.

V. *Signa Diagnoſtica* per ſe patent. Cauſarum ſigna ex Auctoribus ſunt petenda, ipſisve ſuprà infraque deſcriptis vel deſcribendis morbis. Hæc ſaltem addo, excoriationem, ulcusve ſemper comitem habere ſingultum; idem fit ſi Hepar inflammetur. Rugæ laxæ appetitum totum dejiciunt, ventriculuſque inde frigidior calidiora amat ferè omnia. Bilis ſuâ ſe prodit amaritudine, ſuccus Pancreaticus, aciditate.

VI. *Prognoſtica*. Vomitus criticus bonus, ut & ille qui fit à repletione. Symptomaticus ſemper malus; præſertim qui cauſatur à

partium vicinarum inflammatione, venenis, excoriatione, ulcere.

VII. *Indicationes Curativæ.* Vomitus criticus non eſt compeſcendus; Symptomaticus quamprimum fieri poteſt. Pituita tenax incidenda, reliqui humores evacuandi, idque leniter.

VIII. *Curatio.* Vomitui nimio conveniunt purgantia, & revellentia, Clyſteres, puta, ſuppoſitoria, artuum frictiones, ut & calefactiones. Ventriculo ipſo Topica imponantur. Venæſectio in partium inflammatione neceſſariò inſtituenda; cæterà nocet.

*Medicamenta Stomachica.*

Rad. Cyperi, Calam. arom. Galangæ, Chinæ, Zedoariæ, Cichorii. Fol. abſinth. Calamenthæ, Lauri, Majoranæ, meliſſæ, menthæ, ſalviæ; Acetoſæ, portulacæ, Taraxici. Flor. roſar. balauſtior. Sem. anethi, aniſi, fœniculi, cumini, leviſtici, cardamomi, coriandri, citri, frigida 4 majora & minora. Garyophylli, cinnamomum, piper, zinziber. Lignum Guajacum, ſaſſafras. Aloë. Vina omnis generis & nominis, & ex illis præparati Spiritus & aceta. Aq. Anhaltina, Imperialis Quercetani, Sennerti. Elix. citr. Aq. vitæ Mathioli, Aniſi &c. Syr. cinamomi; Rob berberorum Ribiumque, Caro Cydoneorum. Ol. deſtillata menthæ, majoranæ, rorismarini,

rini, ſuccini. Conſerva Menthæ, roſ. rubrarum. Antidotus Stomachica Querc. Diaſcordium. Sal. abſinthii, Tart. vitriolat. Spec. aromatic. roſat. diatrion pipereon, diarrhodonis. Pil. Aloëphanginæ, Maſtichinæ, Aſairel Avicennæ, Cochiæ.

Formulæ Medicamentorum Purgantium in Pituita craſſa:

℞. Reſinæ Agaric. gr. iiij.
Extract. catholic. gr. xij.
Tartar. vitriolat. gr. iij.
Ol. roriſmarin. g. ij.
MS. F. Pilulæ N°. iiij. Dentur.

Vel

℞. Sal. abſinth. ſcrup. j.
Tart. vitriolat. gr. vj.
Troch. alhand. gr. j.
Sachar. alb. ſcrup. ij.
MS. F. Pulvis.

In Inflammationibus & acredine humorum:

℞. Succi taraxic. depurat.
Syr. de Cichor. cum Rheo,
Roſ. ſol. cum ſenn. an. unc. j.
Crem. Tart. ſcrup. j.
Aq. borrag. q. ſ.
MS. F. Hauſtus.

Vel

℞. Mannæ Calabrinæ unc. j. ſ.

Crem. Tartar. drach. ſ.
MS. & diſſolvantur in Iuſculo vel Cereviſia calidè.

Formulæ Medicamentorum Præparantium in Pituita craſſa.

℞. Sal. Ammoniac. ſcrup. j.
Card. bened. ſcrup. ſ.
Tart. vitr. gr. v.
MS. F. Pulvis.

Vel

℞. Spir. Salis dulcis unc. ſ.
Detur in Phiala.

Vtatur quotieſcunque bibit guttas 8 vel 10 in potu aſſueto.

In excoriatione tunicæ interioris Ventriculi vel Inflammationibus partium ſingultuque.

℞. Mucilag. ſemin. pſyllii,
Cydoneor.
Gumm. Tragac. aq. roſ. extr. an. unc. ſ.
Syr. Violar.
Roſar. ſol. ſimpl. an. unc. j.
MS. F. Linctus.

Vrgente dolore:

℞. Specier. aromat. roſ. gr. viij.
Laud. opiat. gr. j.
MS. F. Pulvis. detur bis de die in Iuſculo.

Emulſiones vulgares hic benè quoque audiunt.

Medi-

*Medicamenta Topica.*

℞. Specier. aromaticar. roſat.
Maſtiches elect.
Ol. nuciſt. expreſſ. an. drach. j.
macis ſtillatit.
Citr. an. ſcrup. ſ.
Gummi Carannæ q. ſ.
MS. F. ſ. a. Emplaſtrum ſtomacho imponendum.

Vel

℞. Ol. menthæ drach. ſ.
Carui deſtillat. ſcrup. j.
Nuciſtæ expreſſ. drach. ij.
MS.

Inungatur hiſce oleis bis de die Ventriculus.

IX. *Obſervationes.* 1. David de Potter, Mercator & Antiſtes, quinquagenarius aſſumpſerat loco balſami Sulphuris, Oleum vitrioli. Vnde Oeſophagus & Ventriculus cum ſuo orificio excoriatus in cauſa fuit, ut dies noctesque vexaretur moleſtiſſimo ſingultu. Perfectiſſimè tamen, idque brevi eſt curatus ſupraſcriptis medicamentis, tam laxantibus, quam alterantibus. Optimè quoque habuit ab hac mixturâ:

℞. Succi ſemperviv. maj. depurat. unc. j.
Aq. roſac. plantag. an. unc. ij.
Vitell. Ovi No. j.

Syr. de portulac. unc. j.
Laud. opiat. gr. ij.
MS. bibat cochleatim.

2. Sartor quidam in plateâ dicta regia, nihil retinebat aſſumtorum ciborum potuumve, evomebat vero continuò pituitam vel Lympham quandam craſſam. Viſus ſum propter affectus violentiam urgentemque neceſſitatem omnis generis medicamentis, tam internis, quam externis; ſed evanido eventu, brevi enim periit. Aperto cadavere reperi Pancreas totum corruptum, imò Sphacelatum.

## Cap. III. *De Scorbuto & Affectione Hypochondriaca, malè vulgò dicta Hyſterica.*

I. S*Corbutus* & prava totius corporis nutritio, ejuſque mater *affectio Hypochondriaca.*

II. *Pars affecta* non eſt Lien, imò nec propriè, in conſenſum licet tractum Hepar; ſed Ventriculus, & Glandulæ meſenterii tam conglobatæ lacteæ, quam conglomerata Pancreatica.

III. Cauſa eſt Pituita vel Lympha craſſa Ventriculum & modo dictas glandulas obſidens. Succus item Pancreaticus, unde Chylus indies depravatur.

IV. *Diffe-*

IV. *Differentiæ.* Scorbuti quidem ab Auctoribus variæ dantur differentiæ, quarum præcipua, quod hunc calidum, illum vocent frigidum. Sed reverà omnis provenit ab unica cauſa, Lympha vel pituita nempè craſſa; propter quam chylus glandulas lacteas non niſi ſeroſiore ſua parte poteſt transire; hinc tot Symptomata, pro temperamentorum & locorum diverſitate. Bilem tamen, ſed itidem craſſiorem, ſi quis addere voluerit, illi non contradicam.

V. *Signa Diagnoſtica* benè multa ſunt, ſed nunquam illa omnia vidi concurrere in uno eodemque corpore. Conqueruntur Scorbutici de dolore interdum punctorio, plerumque gravativo capitis; de cordis palpitatione, anguſtiâ; inflatione ventriculi, tenſione ventris, præcipuè in latere ſiniſtro; Tuſſiunt, putant ſe interdum ſuffocari, difficulter reſpirant, vomunt, febricitant; Appetitum proſtratum excitatum vellent. Singultu, Ructibus, Flatibus, convulſionibus vexantur. Tremunt, laſſi ſunt artus, maculiſque rubris vel purpureis aſperſi. Valdè ſunt melancholici.

VI. *Prognoſtica.* Curatur quidem difficulter; difficilis enim morbus eſt, curatur tamen indies. Hiſce regionibus adeò familiaris eſt, ut nullus ferè reperiatur morbus cui non aliquid ſcorbutici ſubſit. Pulſus debilis non æquè, ac in aliis quibusdam affectibus, periculoſus

culoſus eſt; ſimplices enim vapores flatusve illum cauſant. Exactiſſima diæta Medicamentis præſtat, ſine qua ſenſim fiunt incurabiles. Dyſenteriâ rariſſimè laborant, plerumque Diarrhæâ vel Lienteriâ, quæ difficulter curantur, & longo temporis tractu ægros necat, ſequitur enim illas vel Hydrops vel Tabes. Reſpiratio difficilis non tam periculoſum malum eſt quam vulgò putatur, æquè enim ac palpitatio cordis provenit non niſi à vaporibus. Maculas non multi facio, niſi degeneraverint in ulcera, vel elevatæ ſint. Tumores partium externarum paralyſin minantur, proveniuntque à circulatione Lymphæ impedita.

VI. *Indicationes curativæ.* Partium læſarum minor habenda ratio, quam peccantium humorum; hiſce enim plus gravantur quam ſupprimuntur. Humores craſſi incidendi & poſteà iteratis vicibus evacuandi.

VII. *Curatio.* Venæſectio non prodeſt, hæmorrhoides interdum; quæ ſi aſſuetis ſupprimantur ſunt aperiendæ. Purgantia fortiora hiſce ægris ſemper noxia obſervavimus; ſufficient ſuo tempore leniora. Præparandi verò humores incidentibus, inter quæ ſalia volatilia quæcunque primarium obtinent locum. Enemata conveniunt interdum.

*Medi-*

*Medicamenta Anti-Scorbutica.*

Radic. Raphani, Armoraciæ, 5 aperitivæ, Petaſitidis, Scorzoneræ. Fol. becabungæ, Naſturtii aquatici, Trifolii, Cochleariæ, Acetoſæ, Virgæ aureæ, Scordii. Malum Arantiorum acidorum, Poma Citri. Bacca Iuniperi. Gummi Ammoniacum. Cremor Tartari; Chalybs præparat. Aqua Anti-Scorbutica Mynſichti. Spirit. Cochleariæ per ſe præparat. Salis rectificati, dulcis &c. Sulphuris, Tartari, vitrioli, Vrinæ, Ammoniaci. Electuarium Anti-Scorb. Schrœderi.

Formulæ Medicamentorum Purgantium.

℞. Extr. rhei,
Catholic. an. gr. v.
Reſinæ Ialapp.
Agaric. an. gr. iij.
Sal. Ammoniac. gr. iiij.
Ol. Succin. g. j.
MS. F. Pil. N°. v. deaurentur.

Vel

℞. Crem. Tart.
Sal. prunellæ,
Abſinth. an. ſcrup. ſ.
Tart. vitr.
Diagrid. an. gr. vj.
MS. F. Pulvis.

Formulæ Medicamentorũ Præparantium.

℞. Oc. Cancr. præparat. drach. j.

Tart.

Tart. vitr.
Sal. prunellæ drach. ſ.
Conf. Alkermes incompletæ drach. j.ſ.
Sachar. alb. unc. ij.
MS. F. ſ. a. Trochiſci.

Vel

℞. Rad. Raphan. drach. iij.
Filicis unc. j.
Fol. Becabung.
Naſturt. aq.
Cochlear. an. P. j.
Tamarindor. unc. j.
Sem. apii drach. j. ſ.
Coq. ex Aq. hordei vel Vino Rhenano in Colaturæ unc. xxiv.

Diſſolve

Syr. 5. radic. unc. ij. Addendo
Spir. Vitriol. gutt. viij.
MS. F. Apozema.

Spiritus Salis dulcis, Ammoniaci, Cochleariæ, omnibus reliquis præſtant Medicamentis.

IX. *Obſervationes.* 1. Ionathan Syndorp, Iuvenis triginta plus annorum, nec per cubiculum meare, nec pedibus incedere valens, ſimplici hoc utitur medicamento:

℞. Rad. Armoraciæ unc. iij.
Coq. ex ſero lactis,
Colaturæ lib. ij. dentur uſui.
MS.

Se-

Septimo poſt die, pro ſuavi cura, in ædibus meis gratas mihi egit gratias.

2. H. V. B. Mercator dives, urbanus, pius, maculas lividas copioſè videns in brachiis & pedibus, auxilium meum implorat, ſibi metuens à neſcio qua malignitate. Iſtæ maculæ valdè erant elatæ, imò puſtulis proximæ. Spiritu Salis Ammoniaci paucas intra ſeptimanas perfectiſſimè curatus eſt; obſervabat autem exactam diætam.

## Cap. IV. *De Hydrope.*

I. Hydrops eſt Collectio Præternaturalis Lymphæ ſeroſioris.

II. *Pars affecta* eſt Abdomen & ſæpe totum Corpus, omneſque ejus partes.

III. *Cauſa proxima* eſt Lympha ſeroſior, quæ tenellula ſua vaſa erodens, & ſic extravaſata graviſſimum hunc morbum ægris infert. Remotæ cauſæ variæ ſunt, ut apud auctores eſt videre.

IV. *Differentiæ.* Optimè ab Auctoribus dividitur Hydrops in tres ſpecies; 1. *Aſcitem* in qua totus venter, interdum & pedes tument: 2. *Tympanitidem* flatuoſam: 3. *Anaſarcam*, ubi totum corpus tumet.

V. *Signa Diagnoſtica.* Tumet vel venter, vel pedes, vel facies tunc pallida, vel totum cor-

corpus: in fœminis Ventris Tumor accuratè diſtinguendus & examinandus.

V I. *Prognoſtica*. Ab initio facilè curatur, & non obſervatâ diætâ facilè redit. Cachectici rariſſimè perfectam adipiſcuntur ſanitatem. Infantes Anaſarcâ laborantes ſæpè facilli negotio curavi.

V I I. *Indicationes Curativæ*. Venæſectionem hydropicis omnibus noxiam expertus dico. Lympha ſeroſior temperanda; quod fieri non poteſt niſi pituita viſcidior incidatur. Poſtmodum per Epicraſin evacuandus. Sudores movendi pro viribus. Poſſet Vomitus hic fortè convenire, ſed metuo ejus violentiam; non etenim ſolum aſſumpto Medicamento ventriculum turbat, ægrumque reddit anxium; ſed & illum, ſcilicet ventriculum, ita debilitat ut nunquam poſteà cibos pro voto ægri concoquat, quod ſæpius obſervavi. Vtatur quiſque hic ſuo ſenſu, ego illum nec amo nec inſtituo.

V I I I. *Curatio*. Quotquot Hydropicorum ſunt curati, plerumque factum tribus hiſce medicamentis, obſervatâ ſcilicet diæta, 1. Per Epicraſin purgantibus, quibus neceſſario miſceri debent corroborantia. 2. Sudoriferis. 3. Paracenteſi, novo quod in Chirurgia mea deſcripſi inſtrumento, inſtituendâ.

## *Medicamenta contrà Hydropem.*

Rad. Ireos noſtrat. 5. aperitivæ, Vincetoxici. Fol. Geniſtæ, Imperatoriæ, Agrimoniæ. Gummi Gotte. Aſarum. Flores Cortexque medius Sambuci. Lixivium benedictum & diureticum Mynſichti, ejuſdemque Aqua anti-hydropica. Spiritus aperitivus Penoti. Decoctum Chinæ, Salſæ, Guajaci. Eſſentia Martis aperitiva. Spiritus Salis, Sulphuris. Fœculæ Aronis. Sal. abſinthii, ſaliaque omnia volatilia. Cineres bufonum; concharum Oſtrearum, Pulvis mandibularum lucii piſcis.

Purgans:

℞. Rad. Ireos noſtrat. unc. j. ſ.
Petroſelin. unc. ſ.
Fol. Agrimon. M. j.
Sennæ mund. unc. j.
Rhei elect. unc. ſ.
Agaric. leviſſ. drach. iij.
Cinamom. acut. drach. ij.
Garyophyllor. drach. j.
MS. F. Nodulus infundendus in Vini Gallici vel Rhenani generoſioris lib. iiij.

Bibat ejus ſingulis manè frigidè Vncias quinque vel ſex. Gratum eſt Medicamentum, gratiuſque reddi poteſt Sacharo.

Sudoriferum:

℞. Rad. Ireos Florentin. unc. j.

Rad. Salſæ parillæ,
Chinæ an. unc. iij.
Lign. Guajac. lib. j. ſ.
Infuſa tepidè in ſ. q. aq. communis horis 24 coquantur parum, & Colatura evaporetur lento igne ad unc. iij. quæ rurſus diſſolvantur in
Aq. petroſelin. unc. xvj.
Elix. citr. ex deſcript. Ang. Salæ lib. jj
Filtrentur per Manicam Hippocratis
Addendo Colaturæ
Iulapii roſacei q. ſ. ad mediocrem edulcorationem.
MS.
Doſis bis de die unc. ſ. frigidè.

Paracenteſis, prout illam inſtitutam volo typis Belgicis deſcripta eſt in mea Chirurgia.

IX. *Obſervationes.* 1. Pauperrimæ cujuſdam feminæ plusquam quinquagenariæ cadaver hydropicum diſſecui præſentibus magno Anatomico Fr. Sylvio, Fr. Verſchagen felici Practico, variiſque Chirurgis. Iucundum mihi erat in abdomine videre primò Lympham tenuem & fluidam, deinde gelatinam, tertiò concretam, tandem duram & Steatomaticam. Licebat enim mihi certius judicare de Hydropis vera cauſa. Plures tales tibi deſcribere poſſum obſervationes; unica enim nec mihi nec tibi ſufficit, ſed illas alibi.

2. Oeno-

2. Oenopola Iohannes la Four Hydropicus, poſtquam multis uſus fuiſſet medicamentis & ſe moriturum prævideret, ultimum tentari voluit remedium, puta paracenteſin. Inſtituimus illam noſtro modo, & per multos dies inde levatus, ſe ferè putabat ſanum, ſed nihilominus obiit. Non licuit nobis abdomen aperire; quod dolebam: procul dubio enim craſſior Lymphæ pars ibi relicta mortis ejus fuit cauſa. Multi curari poſſent, ſi citius Paracenteſin admitterent.

Hoc modo omnes morbos Hepatis & Lienis curabiles ex causâ frigidâ oriundos poteris curare; de cauſa calida ſupra ſcripſi.

## Cap. V. *De Dyſenteria.*

I. **D**Yſenteria eſt cruentus & interdum purulentus alvi fluxus, cum tunicæ vel tunicarum inteſtinalium eroſione.

II. *Partes affectæ* ſunt inteſtina tam tenuia quam craſſa. Ventriculus ſæpè in conſenſum trahitur, imò fluxui anſam dat.

III. *Cauſæ* ſunt bilis acrior, & ſuccus Pancreaticus acidior.

IV. *Differentiæ*. Interdum unica ſaltem tunica eſt eroſa, interdum omnes. Interdum ſanguis purus effluit, interdum concretus vel purulentus; ſed hic dantur gradus.

V. *Signa Diagnoſtica* ex differentiis petenda.

VI. *Prognoſtica.* Vlcus profundum difficilimè curatur, curabile tamen eſt. Interioris tunicæ ſimplex eroſio, cæteris paribus, ferè ſemper & facilimè admittit curam.

VII. *Indicationes Curativæ.* Dyſenteria, quà Dyſenteria, Venæſectionem nunquam indicat. Humor peccans temperandus & evacuandus; ſic optimè roborantur partes.

VIII. *Curatio.* In tanto hoc morbo vix pluribus, quam tribus utor medicamentis; purgantibus, alterantibus, Topicis, illiſque in parvâ quantitate; copiam enim vel potus, vel ciborum, vel medicamentorum vix unquam tales ferunt ægri.

## *Medicamenta Anti-Dyſenterica.*

Radices biſtortæ, tormentillæ, plantaginis, verbaſci, ſymphyti majoris. Folia burſæ paſtoris, Equiſeti, Myrti, Quercus, Saniculæ. Flor. balauſtiæ, flor. roſ. rubrarum. Semina papaveris; ſophiæ Chirurgorum; Baccæ myrti. Meſpila. Nuces cupreſſi, moſchata. Lignum ſantalum. Acacia, Hypocyſtis; Sanguis draconis, ejuſque imprimis Lachrymæ, Maſtyx, Tragacantha. Coagulum ſanguinis leporini. Cornu Cervi. Cochleæ oſtrearum calcinatæ; Oſſa bovina itidem calcinata. Bolus Armena, Corallia, Margaritæ. Lapis hæma-

hæmatites, Terra ſigillata. Succus agreſtæ, granatorum, cydoniorum. Vinum rubrum ſtipticum, ſed non dulce. Syrupus cinamomi, de mentha, myrtinus, granatorum. Miva Cydoniorum. Narcotica omnia.

℞. Lachrymarum Sanguinis draconis, gr. xxv.
Aq. menthæ unc. j.
Plantagin. unc. ij. ſ.
Cinamom. unc. ſ.
Syr. de Symphyt. Fern. unc. j.
Laudan. opiat. gr. ij.
MS. bibat cochleatim.

Vel

℞. Conſerv. roſar. rubrar.
Menthæ an. unc. j.
Cortic. Arant. condit. drach. vj.
Oſſ. bovinor. calcinator. drach. j. ſ.
Corall. rubr. præparat. drach. j.
Diaſcord. Frac. drach. ij.
Succi Acaciæ ſcrup. ij.
Syr. myrtin. par.
MS. F. Conditum molle.

Sumat ejus æger ſæpè drach. j.

Vel

℞. Laud. opiat. gr. iij.
F. Pilulæ N°. vj.
Deaurentur.

Vnicâ ſingulis utatur horis, donec ceſſet fluxus.

Topica.

℞. Therebinth. Argentinenſis cum Vitello ovi diſſolutæ drach. ij.
Pulv. roſar. rubr. ſcrup. j.
Diaſcord. Fracaſt. drach. j. ſ.
Lactis Vaccini unc. viij.
MS. F. Enema; ter interdum de die reïterandum.

℞. Ol. nuciſt. expreſſ. drach. j. ſ.
Macis ſtillatit. ſcrup. j.
Sem. papaver.
Hyoſcyam.
Myrtillor. an. unc. ſ.
MS. F. Linimentum Epigaſtrico inungendum.

Vbi purgandum:

℞. Pulv. rhei elect. ſcrup. ij. vel drach. j.
Notum quidem, ſed optimum tutum-que hiſce in oris eſt Medicamentum. Regionibus calidioribus minus favet.

Vel

℞. Extract. Rhei gr. xvj.
Laud. op. gr. j.
Ol. menthæ g. j.
MS. F. Pilulæ N°. iiij.
Deaurentur.

IX. *Obſervationes.* 1. Obſtetrix charæ mihi uxoris quinquagenaria non uſa eſt niſi ſemel pulvere rhabarbari; ſæpe verò pilulis ex laudano opiato, ut & Enemate ſupraſcripto. Intrà

trà dies 14 perfectiſſimè curata eſt. Febricitabat interim continuò, & plus quam vigeſies quotidiè dejiciebat tam pus, quam ſanguinem. Sanguinea autem eſt & erat.

2. Ancilla Capitanei N. N. Plethorica, ſexaginta quotidiè habebat ſedes cruentas. Vſa eſt iiſdem Medicamentis, & duodecimo poſt die ſana rerum domeſticarum habuit curam.

3. Filius viduæ van Aſperen, aſſuetus bibere Spiritum vini, patiebatur dyſenteriam ſummo cum dolore: rejiciebat ſanguinem concretum pulcherrimi coloris, id eſt arterioſum, eumque ſæpè ad librarum duarum pondus. Aperto cadavere reperi inteſtina tenuia hàc illàc ſphacela, tunicas eroſas & in 4. locis perforatas.

## Cap. VI. *De fluxu Hepatico.*

I. FLuxum Hepaticum vix nomino, quia falſus eſt, deceptique, prout illum deſcripſere, veteres. Nihil enim aliud eſt quam apertio arteriarum ſplenicarum, id eſt mihi, hæmorrhoïdalium ſuperiorum.

II. In regionibus frigidis raró periculoſus, in calidis ſemper.

III. *Curatur* medicamentis Anti-Dyſentericis.

IV. *Obſervatio.* D. Iohannes Provooſt, vir

probus & honeſtus, nunc Mercator, anteà Machaonis filius, patiebatur ſanguinis copioſum fluxum; dolebat illi regio umbilicalis aliquo modo. Præſcripſi ipſi mixturam narcoticam; deinde hauſtulum hunc laxantem:

℞. Rhei elect. drach. ij. ſ.
Sem. aniſ. ſcrup. j.
Coq. ex aq. borrag. in Col. unc. ij. ſſ.
Diſſolve
Syr. roſ. ſol. cum Senna unc. j.
MS. F. Hauſtus.

Tres intrà dies melius habuit, & multis abhinc annis alacriter vixit vivitque.

## CAP. VII. *De Ileo.*

I. ILeos eſt retentio Chyli & fæcum in inteſtinis tam tenuibus quam craſſis.

II. *Partes affectas* dixi.

III. *Cauſa* ferè ſemper bilis eſt, quæ nunc acrior dolorem cauſat atque inflammationem motumque inteſtinorum inverſum; nunc craſſior alvum non movet, unde fæces induratæ.

IV. *Differentiæ*. Hic provenit ab Inflammatione; ille à fæcibus induratis; tertius à motu inteſtinorum inverſo.

V. *Signa Diagnoſtica. Inflammationis* ſigna ſunt febris continua, Vomitus, Calor circà umbilicum, dejectio nulla: *Excrementorum induratorum*; Ventris dolor gravativus; vo-

mitus

mitus minus frequens, præſertim ab initio; anxietas præcordiorum; febris mitior, excretio nulla. *Motus inteſtinorum inverſi*; Vomitus continuus aſſumptorum ciborum, potuum, medicamentorum, imò Enematum, ſuppoſitoriorum, fæcum.

VI. Omnis Ileos periculoſus morbus eſt, ſed à fæcibus cauſatus induratis, reliquis curatu facilior.

VII. *Indicationes Curativæ.* Dolor mitigandus, ſed narcoticis nequaquam; niſi forte in inflammatione, quæ melius corrigitur refrigerantibus & ſudoriferis. Inteſtina inverſa priſtino loco reſtituenda. Fæces induratæ emolliendæ, & quamprimum fieri poteſt educendæ.

VIII. *Curatio.* In inflammatione prodeſt Venæſectio, cæterà ſummè nocet. In fæcibus induratis vix novi morbum qui fortiora fert purgantia. Proſunt inunctiones, balnea. In motu inteſtinorum inverſo hæc eadem conveniunt medicamenta. Cucurbitulæ magnæ non ſcarificatæ umbilico impoſitæ quibuſdam dicuntur profeciſſe. Non audeo hic de ſectione, quæ multos forſitan ſalvaret, loqui. Clyſteres ubique proſunt.

Inteſtinis inflammatis:

℞. Fol. Semperviv. major.
Taraxici an. P. ij.
Tartar. rhenan. drach. v.

 Tama-

Tamarindor. unc. j.
Sem. melon. drach. iij.
Coq. ex aq. hord. in Colatur. lib. j. ſ.
Diſſolve
Syr. roſ. ſol. ſimpl. unc. ij. ſ.
MS.
Vel
℞. Aq. prophylactic. unc. j. ſ. roſac. unc. ſ.
Card. bened. unc. iij. ſ.
Succ. ſemperviv. maj. depurat. unc. j.
Bezoardic. miner. ſcrup. j.
Syr. de portulac. drach. xij.
MS. bibat cochleatim, ſudetque.
Fæcibus induratis:
℞. Trochiſcor. alhand. gr. iiij.
Diagrid. gr. xv.
Tart. vitriolat. gr. vj.
Sal. prunell.
Crem. Tart. an. ſcrup. j.
MS. F. Pulvis pro una doſi.
Vel
℞. Rad. Althææ unc. j.
Fol. Malvæ M. j.
Sennæ drach. x.
Agaric. trochiſcat.
Rhei elect. an. unc. ſ.
Tamarindor.
Tartar. crud. an. drach. vj.
Sem. lini drach. ij.
Coq. ex aq. hordei, in Colaturæ unc. xxv.
Diſ-

Diſſolve

Syr. Diacnic. unc. j. ſ.

El. è ſucco roſar. drach. vj.

MS. F. Apozema.

Bibat æger ſingulis bihoriis Vncias ſex, donec alvus reſponderit. Interim aſſumat jura pinguia, inungaturque venter Vnguentis vel oleis emollientibus; Althææ ſcilicet, de mucilaginibus, &c.

Pilulæ Iliacæ Rhaſis, quarum deſcriptio ex Valerio Cordo & Dodonæo legere eſt, magnæ hic ſunt efficaciæ.

Iiſdem medicamentis curatur Volvulus, id eſt, motus inteſtinorum inverſus; præterquam globuli plumbei, argentei, aurei, laborantibus ore deglutiendi exhibentur.

IX. *Obſervationes*. Honeſta Matrona N. le Roux ſanguinea, & plus quam quinquaginta annos nata, Groeningam inter & Amſtelodamum procellis agitata, ſeptem integris diebus nihil dejecerat. Domum reverſa petiit à me purgans, quod præſcripſi, præeunte Clyſtere; ſed vomitu rejecit purgans, nihilque effecit enema. Altero, octavo nempe die ſubſequentibuſque, varia aſſumpſit medicamenta per Epicraſin purgantia, eaque fortiora; ſed triſti eventu. Morbi vigeſimo primò die, dicebat inteſtinum aliquod crepaſſe, mens nihilominus optimè conſtabat. Vigeſimo ſecundo fatis ceſſit. Vigeſimo tertio diſſecui cadaver,

daver, nec quicquam vel circà ventriculum vel in inteſtinis tenuibus poteram reperire, quod morbi cauſam indicaret, & mirabar. Cum obſtetricis præſentis ergò uterum voluerim explorare, vidi inteſtinum colon non procul ab inteſtino recto ſphacelatum tunicaſque disruptas.

2. Pauperrimus quidam Walo morbo hoc Miſerere mei dicto, ſummo cum dolore periit. Aperto cadavere ſeptem diverſis in locis inteſtinum ileon vidimus ita convolutum, ut cibis, potui, fæcibus, omnis neceſſe fuerit denegari tranſitus.

3. Vxor Mercatoris N. Muys à fæcibus induratis undecim continuis diebus alvum habebat adſtrictam; purgavi illam ſuprà dicto Apozemate, & illo ipſo die eſt curata. Idem evenit virgini cuidam, quæ fruſtula aliquot panni deglutiverat. Laborabat menſtruorum ſuppreſſione.

## Cap. VIII. *De dolore Nephritico.*

I. DOlor *Nephriticus* eſt ſolutio continui renum membranarum.

II. *Partes affectæ* ſunt membranæ in conſenſum trahentes totam ſubſtantiam renum, tubercula, pelvim, ureteres & veſicam, imò ventriculum & inteſtina.

III. *Cauſa* eſt Lympha acrior & ſeroſior, inter-

interdum craſſior, exque illâ cauſatus ſæpè calculus: nihil enim in tota rerum natura facilius concreſcit, quam materia ſeroſa, id eſt, ſalina.

IV. *Differentiæ.* Nunc provenit à Lymphâ acriore, nunc à calculo.

V. *Signa Diagnoſtica.* Calculum à Lymphâ diſtinguere vel experientiſſimo Practico difficile eſt, ſigna enim ſibi valdè ſunt ſimilia. Conqueruntur de lumborum dolore & ardore, vomunt craſſa & bilioſa ſi ventriculus male ſit conſtitutus; ſi benè, nauſeam patiuntur & inanes evomendi conatus, quod notandum. Plerumque illum comitatur Colica Paſſio, quam Galli *Colique Graveleuſe* vocant. Sæpè mingunt urinam cruentam, æſtate præſertim, vel poſt motum vehementiorem: quidam non niſi guttatim mingunt, quibuſdam urina eſt ſuppreſſa.

VI. *Prognoſtica.* Dolor nephriticus à calculo difficilior eſt curatu, quam qui provenit à Lympha acriori. Vrinam cruentam ſi mingant, timent quidem ſibi & debilitantur, ſed levantur. Vrina craſſa melior eſt tenui. Hæreditarius vix curatur; in ſenibus difficulter, in infantibus facilè curationem admittit ille, qui ulcere renum caret.

VII. *Indicationes Curativæ.* Dolor mitigandus; Lympha ſeroſior temperanda; craſſior incidenda; calculus ſi ſit friabilis, comminuen-

minuendus eſt & expellendus; magnus non movendus.

VIII. *Curatio.* Corpus cacochymicum purgetur. Venæſectio in dolore à Lympha acriore oriundo mirè convenit, præſertim in Plethoricis. Alterantibus & narcoticis plus profeci quam ullis aliis medicamentis. Clyſteres optimè hic audiunt. Diæta ſit exacta.

## *Medicamenta Anti-Nephritica.*

Rad. Ireos, Eringii, graminis, liquiritiæ, ononidis, petroſelini, filipendulæ, Althææ. Fol. Malvæ, Capillorum Ven. Cerefolii, petroſelini, Chamædreos, Chamæpiteos, leviſtici, naſturtii, ſaxifragiæ, Sabinæ, Virgæ aureæ. Schœnantum, Spica. Flores Sambuci. Lupulus. Semina 4 frigida majora papaveris, milii ſolis, aniſi, fœniculi, dauci, carui, ſeſeleos. Fructus Alkekengi. Fraga. Ficus. Hordeum. Lignum Heracleoticum, Nephriticum, Guajacum, Saſſafras. Caſſia lignea, Cinamomum. Therebinthina. Balſamus Sulphuris, ſimplex & aniſatus vel juniperinus. Copayvæ. Serum lactis. Dens apri. Lumbrici terreſtres. Tartarum ex illoque compoſita omnia. Aquæ thermales. Oculi cancri. Aquæ ex herbis ſupradictis deſtillatæ. Spiritus ſalis dulcis,ut & rectificati, Vitrioli, Sulphuris, Tartari, Ammoniaci. Tinctura Nephritica Mynſichti. Syr. althææ

Fer

Fernel. papaveris albi & erratici, diacodii, byzantinus, 5 radicum. Oxymel diureticum Querc. Oleum amygdalarum dulcium, aniſi ſuccini, therebinthinæ. Antidota Nephritica Querc. Electuarium Montagnanæ. Mandibulæ lucii piſcis. Conchæ oſtrearum calcinatæ. Sal. Succini, fraxini, ſtipitum fabarum, teſtarum ovorum.

In cauſa temperamentiſque Calidis.

℞. Rad. althææ unc. j.
Liquiritiæ drach. ij.
Fol. malvæ M. j.
Sem. melon. unc. ſ.
Coq. ex aq. hordei in Colat. lib. ij.
Diſſolve
Syr. papaver. errat. unc. ij.
Oc. Cancr. crud. contuſ. drach. j.
MS. bibat ter quaterve de die Vncias ſex.

Vel

℞. Aq. fragariæ,
Portulacæ,
Roſaceæ an. unc. j.
Prophylact.
Cinam. an. unc. ſ.
Oc. Cancr. crud. contuſ. ſcrup. j.
Laud. op. gr. ij.
Syr. Althææ Fernel. unc. j.
MS. bibat cochleatim.

In

In cauſa temperamentiſque frigidis.

Nihil præſtantius eſt Spiritu noſtro Anti-nephritico, cujus tibi hancce do deſcriptionem:

℞. Radic. Ononid.
Saxifrag. alb. an. unc. j.
Liquirit. unc. ſ.
Sang. hirci drach. vj.
Oc. Cancr. contuſor.
Nucis moſchatæ,
Cinamom. an. unc. j.
Croc. Oriental. drach. iij.
Garyophyllor. drach. ij.
Therebinth. Argentinenſis unc. xvj.
Spiritus Vini Malvatici lib. v.

Conciſa & Contuſa ſtent in infuſione per 14 dies; poſteà per B. M. deſtillentur.

Doſis cochleare unum vel alterum jejuno ſtomacho bis terve de die pro neceſſitate. Delicatioribus temperatur Aq. petroſelini vel graminis, additurque ſacharum.

In omnimoda urinæ ſuppreſſione teſtæ ovorum calcinatæ ad ſcrup. ij. vel drach. j. aſſumtæ omnia reliqua medicamenta præcedunt. Cochenilia Tinctorum, ex India Occidentali, in Vino Rhenano aſſumta ad ſcrup. j. mite quidem & ſuave eſt medicamentum, ſed magnæ efficaciæ.

IX. *Obſervationes.* Iohannes Dailly, Mercator & Eccleſiæ Gallicanæ Amſtelodamen-

ſis

ſis Antiſtes, vir probitate ſuâ omnibus notus charuſque, minxerat per aliquot menſes noctu diuque urinam cruentam, purulentam, fœtidiſſimam. Calculos varios quos ejecerat, ſervabat ſibi. Non poterat tanto temporis ſpatio per quadrantem horæ dormire. Cum vocarer alvus ipſi biduo adſtricta erat. Præſcripſi illi hoc lene laxans:

℞. Syr. de Cichor. cum Rheo,
Roſ. ſol. cum Senna,
Diacnic. an. unc. j.
Oc. Cancr. præparat. ſcrup. j.
Aq. graminis q. ſ.
MS. F. Hauſtus.

Quater inde dejecit cum euphoria. Altero die, pluribuſque ſequentibus uſus eſt ſummo cum ſucceſſu Decocto Malvæ ſupraſcripto, ut & mixturâ anti-nephriticâ ex laudano opiato. Tandem bis quotidiè aſſumebat Balſamum Sulphuris aniſatum ad gutt. 8; & pleniſſimè curatus eſt.

2. M^r^. Gaillard moribundus iiſdem medicamentis convaluit, poſtquam à circumforaneis quibusdam miſerrimè vexatus, nihil niſi fœtidum pus per urinam ejeciſſet.

3. Pauperrimus quidam Vir triginta per annos, ut ex ipſius ore hauſimus, laboraverat dolore nephritico & dyſuriâ. Obiit. Diſſecui cadaver, reperique renis ſiniſtri ſubſtantiam totam conſumptam, ita ut præter mem-

branam nihil ſuperfuerit, ſed ſolitò, ut ſolet longè fuit craſſior.

Dolor Colicus tam ex præcedenti, quam hoc ex capite curari poteſt, ideoque illum nunc, aliàs hoc forſitan facturus, non deſcribo; nam mihi nunc tempus fruſtrà terere videbor.

## Cap. IX. *De Vteri ſuffocatione.*

Vteri ſuffocatio, falsò hoc nomine inſignita, curatur anti-ſcorbuticis; legatur Caput ſuprà ſcriptum de Scorbuto, doctiſſimuſque Higmorus, ut & caput brevi ſequens de Menſium ſuppreſſione.

## Cap. X. *De Hernia Vterina.*

Herniam Vterinam methodo mihi uſitata deſcribere non poſſum, quia falſiſſimè ab antiquis eſt deſcripta, quod non lubens ſcribo; interim bono publico eſt conſulendum. Hoc errore illos notare cogor vel invitus, quod Herniam Vteri judicaverint, quæ hernia uteri nunquam fuit: hoc enim ferè nunquam, rariſſimè certè accidit, quod antehac in Chirurgia mea monui. Hernia vulgò vocata uterina, nihil aliud eſt quam relaxatio anterioris Vulvæ tunicæ. Rugoſa eſt hæc tunica non ſolum ut penem amplecta-

tur,

tur, & melius ſemen deferat ad uterum; ſed etiam ut partus tempore, onere ſuo citius liberet infantem, quod apprimè notandum.

Facilè ab initio curatur adſtringentibus, & Gangræna ſi metuatur, exſcindi poteſt ſine vitæ periculo, metuve hæmorrhagiæ. En paucis totam ejus curam.

Aliud hic notatu digniſſimum eſt obſervandum, quod à Ruſticis Belgicis, ſuibus trimeſtribus totus uterus exſcindatur, facta apertione in latere ſiniſtro, & ligatis venis arteriiſque eodem modo ut ſolemus nos canibus eximere lienem. Iucundum eſt videre quod canes exempto ſplene ſtatim currant, vulnus lambant, bibantque lac vel quam illis præponimus aquam. Sex illorum huc uſque diſſecuimus, ſed non niſi primus mortuus eſt, idque noſtrâ imperitiâ; reliqui æquè voraces ſunt curruntque, ac ſi liene non carerent. Quod de ſuibus ſuprà dixi, plus quam ſemel vidi. Faciunt id ruſtici ne concipiant & ſic obeſiores fiant. Sic felibus aliiſque beſtiis eximuntur teſtes.

## Cap. XI. *De menſium ſuppreſſione.*

I. M*Enſium ſuppreſſio* eſt fluxus menſtruorum impeditus.

II. *Pars affecta* quidem uterus eſt, Ventriculus autem non ſolum in conſen-

ſum trahitur, ſed quantum ego obſervavi, primaria defectus illarum origo.

III. *Cauſa* eſt humor craſſus viſciduſque à Ventriculo ad partes vaſaque teneriora delatus, & ſic naturalem fluxum ſupprimens. Poſſunt & menſtrua ſupprimi ab inanitione & defectu ſanguinis; ſed & hic defectus provenit à viſcido illo tenacique humore, Chylificationem & ſanguificationem depravante. ſupprimuntur itidem ab uteri clauſura.

IV. *Differentiæ*. Hæc provenit à vaſorum anguſtiis; illa ab humore craſſo; tertia à ſanguinis defectu; quarta ab uteri clauſura.

V. *Signa Diagnoſtica*. Sanguis inordinato motu vagatur per arterias, ſeſeque ſæpè exonerat per oculos, aures, nares, os. Nauſeam patiuntur atque vomitum, & picam. Pallent, febricitant. Multæ laborant diarrhœâ, quædam fluxu albo. Sæpe videntur ſuffocari, baculumque in gula & œſophago ſe habere dicunt putantque. Signum lactis mammarum Hippocrati certum eſſe nego. Dolent renes; convelluntur.

VI. *Prognoſtica*. Menſium ſuppreſſio ab uteri clauſura periculo vacat, modo indicetur, quod vidi ſcioque. Quæ ab humore viſcido provenit, curatu difficilima eſt; ut & illa quæ provenit à ſanguinis defectu, eandem enim agnoſcit cauſam. Vaſorum anguſtias non magni

gni facio; ſæpius enim aperiuntur per ſe, præcipuè æſtivo tempore.

VII. *Indicationes Curativæ.* Humor craſſus incidendus & poſteà educendus per alvum; vomitum enim contrà ſententiam multorum non probo. Sanguificatio promovenda: viarum anguſtiæ aperiendæ, ut & Vteri clauſura.

VIII. *Curatio.* Medicamenta menſes moventia primarium hic obtinent locum. Sequuntur purgantia, in pituitoſis fortiora. Plethoricis Vena eſt ſecanda, ſed non niſi in talis. Cingulo conſtringantur Hypochondria. Suffumigia fœtida valdè proſunt, Enemata interdum. Coïtus non multum ad curationem facere videtur, ſunt enim qui inde pejus habent. Suaveolentia pudendis adhibenda, Cucurbitulæ & ligaturæ cruribus.

## *Medicamenta Anti-hyſterica.*

Radices Angelicæ, Bryoniæ, Gentianæ, Imperatoriæ, Meu, pentaſitidis, Zedoariæ, Galangæ. Folia Sabinæ, Meliſſæ, Arthemiſiæ, Pulegii, menthæ, rutæ, Majoranæ, Salviæ. Semina dauci, leviſtici. Baccæ lauri, Iuniperi, Aſa fœtida, Caſtoreum, Myrrha, Succinum, Bitumen, Pix. Vngula alcis. Pennæ perdicum. Aqua hirundinum, Anhaltina, Mynſichti, Sennerti, Crollii. Tinctura caſtorei, baccarum Iuniperi, croci, lunæ, antimonii.

Camphora. Ol. menthæ, ſuccini, rutæ, Tartari fœtidum. Balſamus Sulphuris, Vterinus Schröderi. Tragæa hyſterica Querc. Fæculæ bryoniæ, Aronis. Trochiſci de myrrha pro ſuffitu. Emplaſtrum de Galbano, matricale, &c.

℞. Caſtorei unc. ſ.
Sal. Ammoniac.
Succini volat. an. drach. ij.
Spiritus Vini rectificat. unc. iij.
Vini Rhenani Falerni unc. vj.
Infundantur per noctem Colaturæ unc. ſ. detur pro una doſi.

Vel

℞. Sal. Arthemiſiæ,
Succin.
Tart. vitriolat. an. gr. iij.
Aloës lucidæ gr. xv.
Ol. menthæ g. j.
MS. F. Pil. N°. v. deaurentur. Pro unica doſi ſæpius reiteranda.

Vel

℞. Gumm. Ammoniac. cum aceto præparat. drach. ſ.
Caſtorei el.
Myrrhæ rubr. an. ſcrup. j.
Sal. Arthemiſ.
Succin. an. ſcrup. ſ.
Tartar. vitr. gr. viij.
Extract. catholic. drach. j.

Tro-

Trochiſcor. alhandal. gr. xij.
Ol. menthæ gutt. vj.
MS. F. Pil. N°. L. deaurentur.

Sumat ægra quotidiè jejuno ſtomacho tres quatuorve. Si loco pilularum ægræ magis arrideat pulvis:

℞. Sal. Arthemiſiæ, fraxini,
Succini an. gr. xij.
Tart. vitriolati gr. vj.
MS. pro unâ doſi.

Summæ eſt efficaciæ.

Vel

℞. Rad. Calamenthæ unc. j.
Fol. Sabinæ drach. x.
Menthæ P. j.
Sennæ drach. vj.
Agaric. trochiſcat. drach. iij.
Turbith. elect. drach. v.
Oc. Cancr. crudor. contuſor. unc. ſ.
Garyophyllor. drach. j.
Sem. dauci drach. ij.
Coq. ex aq. hordei, in Colaturæ unc. xxx.
Diſſolve
Syr. diacnic. unc. ij.
Salis Ammoniac. drach. j.
MS.

Bibat ſingulis mane uncias 6.

Interim utatur ſuffumigiis ex Trochiſcis de Myrrha, pennis perdicum, &c.

Vel

℞. Caſtorei drach. j.
Aſæ fœtid. drach. ſ.
Caphuræ ſcrup. j.
MS. F. Nodulus.

Vina medicata ex ingredientibus ſuprà ſcriptis in temperamento pituitoſo optimè hic audiunt.

IX. *Obſervationes.* Virgo viginti quinque annorum decem ultra menſes ſuppreſſionem menſtruorum paſſa, pallida, nauſeabunda, valdè conquerebatur de dolore hypochondrii, ut plerumque omnes ſolent, ſiniſtri. Supervenêre illi, ut aliis multis, convulſiones, quæ longè differunt ab illis, quæ propriè ſic vocantur. Lipothymiam poſtmodum paſſa eſt. Purgavi illam ter hiſce pilulis:

℞. Maſſæ pilul. Aloëphangin. major. ſcrup. j.
Sal. Succini,
Ammoniac. an. gr. iiij.
Reſinæ Ialappæ gr. vj.
Ol. majoran. g. j.
MS. F. Pil. N°. vj. deaurentur.

Hiſce aſſumptis brevi tempore curata eſt.

2. Alia Virgo per multos annos laboraverat menſium ſuppreſſione & febre hectica, quæ illam extinxit. Aperto cadavere reperimus in Meſenterio ſteatomata varia, à Lymphâ craſsâ oriunda, & in ſiniſtro latere ma-

magnum velut ſaccum, repletum materia turbida, pituitoſa, majori verò ex parte cruenta.

## CAP. XII. *De partu difficili.*

I. P*Artus difficilis* eſt interclusſus fœtui exitus.

II. *Partes affectæ* ſunt uterus laxior adſtrictiorve, membranæ fœtus craſſiores, Vagina anguſtior, os pubis, Iſchion exſiccum, & ideò minus cedens.

III. *Cauſæ* variæ ſunt. Sæpè evenit quod mulieres delicatulæ ſibi metuant à dolore, & tunc magis dolent, pariuntque ſerius. Anguſtiæ viarum multum cauſant difficultatis. Fœtus debilior non adjuvat matrem. Lympha nutritia (nutritur enim infans, ex mea opinione, tam per os, quam per arterias umbilicales) paucior, partes fœtui transeundas non ſatis reddit lubricas. Ex omnibus hiſce cauſis deficiunt parturiendi conatus.

IV. *Differentias* vides ex præſcriptis.

V. *Signa Diagnoſtica* ex obſtetrice ſunt quærenda.

VI. *Prognoſtica.* Viarum anguſtiæ ſunt periculoſiſſimæ, præſertim ubi fœtus ſolito major eſt, & humeros habet latiores. Laxitas rugarum vaginæ hac ex parte multum nocet, rugæ enim valdè inſerviunt educendo fœtui,

ut & ſemini maſculo attrahendo. Fœtus ſupra os pubis ſituatus exitum invenire nequit, niſi reprimatur; antequam hoc factum ſit, omnes conatus parturientis ſunt inutiles, & anti-hyſterica omnia noxia.

VII. *Indicationes Curativæ.* Inſufficientes parturientis conatus promovendi. Mater & infans roborandus. Viarum anguſtia dilatanda. Situs infantis vitioſus corrigendus.

VIII. *Curatio.* Situs infantis vitioſus, ſicubi obſtetricis manu corrigi non poteſt, corrigatur manu Chirurgi, mortuuſque fœtus hamis extrahatur, prout in Chirurgia mea ſcripſi. Parturiendi conatus promoventur medicamentis infrà ſcribendis. Anguſtiæ viarum dilatantur oleis laxantibus. Erecta ſtans ægra, ſæpè parit facilius; ſed hoc remedii genus non facilè concedo. Reliqua obſtetrici committenda.

*Medicamenta generalia partum difficilem promovendi ferè omnia ſunt anti-hyſterica, quæ legi poſſunt in Capite præcedenti.*

℞. Aq. anti-hyſtericæ unc. j. ſ.
Pulegii,
Meliſſæ an. unc. ij.
MS. bibat cochleatim.

Communi & notiſſimo omnibus hoc medicamento tot liberavi, conatuum in defectu, parturientes; idque tàm citò, ut non facilè

cre-

credideris. Rationem humanioribus dare paratiſſimus, nunc mihi ſervo.

Vel

℞. Fol. Sabinæ,
Majoranæ an. P. j.
Schœnanthi,
Spicæ nardi Indicæ an. drach. ij.
Coquantur ex Vino vel potu cui ægra magis eſt adſueta: in Colaturæ unc. xx.
Diſſolve
Boracis Venetæ drach. j.
Sachar. albi parum.
MS. doſis unc. v.

Commendo tibi picem navalem & pulverem ſecundinæ. Doſis ſcrup. ij.

*Obſervationes.* 1. Vxor (non libenter hiſce in affectibus quandam nomino) vicini mei, ditiſque mercatoris, per biduum patiebatur parturiendi conatus, unde delicatula eo uſque debilitata eſt, ut adſtantes illam judicaverint morti proximam. Vſa eſt mixtura ſuprà ſcripta & me præſente, illicò gemellos eſt enixa, optimeque poſtmodum habuit & habet.

2. De Viarum anguſtiis nihil aliud poſſum ſcribere, quam quod multas viderim (fœtu nempè mortuo) Chirurgi manu ita liberatas, ut poſtmodum feliciter conceperint. Interim tamen multæ pereunt, quæ nimis ſerò quærunt auxilium, quod plerumque obſtetricum culpâ ſolet evenire.

CAP.

## Cap. XIII. *De menſium nimio fluxu.*

I. M*Enſium fluxus immodicus* eſt apertio vaſorum tam ſanguineorum, quam Lymphaticorum præternaturalis..

II. *Pars affecta* primaria eſt Ventriculus; ſecundaria Renes; ultima Vterus, quam antehac, & fortè nuncdum, multi, non ego, primam dicunt.

III. *Cauſa* eſt ſanguis vel ſeroſior, vel Lympha acrior, ſed imprimis craſſa.

IV. *Differentiæ.* Hic albus eſt, ille ruber; cæterà non differunt niſi gradibus.

V. *Signa Diagnoſtica* tibi indicabit ægra.

VI. *Prognoſtica.* Fluxus albus & cruentus ubi fuerit frequens vel continuus, multas necat; defectu enim nutrimenti incidunt in hecticam. Vterque valdè eſt moleſtus & graviditatem impedit.

VII. *Indicationes Curativæ.* Ventriculi præcipua habenda ratio. Humor craſſus educendus, ſeroſus acriorque temperandus.

VIII. *Curatio.* Ventriculum niſi purgaveris & liberaveris ab humore ſuo craſſo, non curabis ægram. Venæſectio Symptomatibus occurrit, & ideò ſæpè prodeſt, ſed nihil facit ad cauſam. Cucurbitulas mammis appoſitas noxias eſſe puto: magis mihi placent ligaturæ

bra-

brachiorum, ubi ſymptomatibus urgentibus eſt revellendum. Enematibus non utor niſi in alvo adſtrictiore. Adſtringentia ubique ferè præſcribuntur, ſed non potui obſervare illa prodeſſe, niſi corpore benè purgato, tuncque ſummè neceſſaria.

*Medicamenta fluxum muliebrem tam album quam ſanguineum ſiſtentia.*

Radices plantaginis, nymphææ, Ireos noſtratis. Fol. menthæ, quercus, millefolii, cynogloſſæ, Vermicularis. Flor. balauſtiorum, roſarum rubrarum, Verbaſci. Sem. agni caſti majoris, coriandri, cannabis, papaveris albi, rutæ. Thus, Maſtyx, Terebinthina, Succinum, Camphora. Guajacum; Cortices granatorum, quercus. Corn. Cervi vel raſum vel philoſophicè præparatum. Oſſa ſepiæ, Spodium, Acacia, Corallia, Margaritæ, Lapis hæmathites, Lachrymæ ſanguinis Draconis, Vnicornu foſſile. Ol. camphoræ, Therebinthinæ. Tinctura martis, Corallorum. Pilulæ maſtichinæ. Rheum in ſubſtantia. Stercus aſininum.

℞. Reſinæ Ialappæ, Agarici.
Extract. Rhei an. gr. v.
Ol. menthæ g. ij.
MS. F. Pil. N°. iiij. deaurentur.
Pro unâ doſi.

Vel

Vel

℞. Sal. Succini,
Sang. draconis an. ſcrup. ſ.
Diagrid. gr. vj.
MS. F. Pulvis pro una doſi.

Pulvis rhei ad drach. j. exhibitus benè agit.

℞. Cretæ albæ vulgaris ſcrup. j.
Maſtiches elect. drach. j.
Succi acaciæ,
Lachrym. ſang. dracon.
Mumiæ, Rhei elect.
Corall. rubr. præparat.
Oc. Cancr. crudor. an. drach. ſ.
Therebinthinæ Venet. lotæ, ſed nullatenus coctæ, q. ſ.
MS. F. ſ. a. Pil. magnitudine piſi minoris & aſpergantur pulvere cinamomi.

Sumat ægra ſingulis manè quinque.

Vel

℞. Lachrym. ſang. drac.
Oc. cancr. præparat.
Cretæ alb. vulg. an. gr. viij.
Chalyb. præparat.
Lapid. prunell. an. gr. vj.
MS. F. Pulvis pro una doſi quotidiè aſſumenda.

IX. *Obſervationes.* 1. Vxor Guilhelmi ab Ottinga ægerrimè per aliquot dies decubuerat nimio menſium fluxu, ita ut macra, debilis,

bilis, pallida, jam jam videretur velle mori. Dulcia pauciſſimæ ferunt hyſtericæ, optimè tamen habuit ab hoc medicamento, à quo fluxus ſtatim ceſſans, priſtinæ ſanitati ægram ſe reſtituere ſivit:

℞. Mannæ Calabrin. unc. ij.
Crem. Tart. ſcrup. ij.
MS. ſumat in juſculo.

2. Vxor amiciſſimi cujuſdam mihi mercatoris fluxum patiebatur album. Vſus fueram medicamentis ſupraſcriptis & ſat benè ſe habebat. Sed tota erat Venerea, & comedebat omnia guſtui ipſius grata, Oſtrea ſcilicet, acetaria, &c. inde pejus habens, auxilium cujuſdam circumforanei imploravit, qui illi, neſcio quo medicamento, tantam excitavit ſalivationem, ut poſt multos dolores ſit extincta.

De Affectibus externis in Chirurgia & Anatomia mea Practica, ſatis largè me ſcripſiſſe puto.

FINIS.